Copy [illegible]

Tq

GODEFR: BIDLOO;

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM

DECADES

DUÆ.



LUGD: BATAVORUM,

Apud JORDANUM LUCHTMANS, 1708.

SOCIETATI
REGIO-ANGLICANÆ
S.

Viri illuſtres, ſodales eruditi;

Alteram hanc, ante tres annos, vobis, ſequenti cum inſcriptione, conſecratæ, decadis meæ (ſecundam cui adjeci) ANATOMICO-CHIRURGICARUM EXERCITATIONUM, editionem, eâdem, quâ, tunc temporis primam, obſervantiâ, offero; valete, viri illuſtres & veſtra beate familiaritate,

Tuum ſodalem,

G: BIDLOO.

Dabam Lugd: in Bat: MDCCVII.
Menſe Novemb:

Me vestrum receptique quondam ab vobis honoris, consuetudinis & familiaritatis, memorem & non omninò languentem vivere, demonstrabit, quæ vobis offertur, eâ, quâ decet reverentiâ, mea hæc ANATOMICO-CHIRURGICA DECAS; quod huic addam unicè velimque maximè rogemque enixè, est, ab vobis illa, eo, quo vobis inscribitur amore & benevolentiâ, accipiatur, legatur, emendetur in artis Apollineæ emolumentum, humani generis commodum nostræque sodalitatis decus, cujus cultorem indefessum me exhibere, pro modulo meo, studebo indesinenter.

Dabam Lugd. in Bat. Mense Julio MDCCIV.

GODEFR: BIDLOO;

CHIRURGIÆ

CULTORIBUS, FAUTORIBUS, STUDIOSIS,

S.

UT, quam in pauperiorum ſolatium ſtudioſorumque Chirurgiæ, ſuſcepi commodum, exequar provinciam probè, utilitatis credidi fore ſummæ, exercitationes, hocce ſpectantes thema, ventilandas, ſi proponerem ſæpeſæpius; ne autem (ut publicè plurimum fit) ad pompam, cavillatrices & ex mutuò in anteceſſum communicatis oppoſitionibus argumentiſque, hæ meæ ſint, vel habeantur; actum ad hunc, cum doctrinæ meæ continuis auditoribus, omnes, quâ decet, invito humanitate medicinam, Chirurgiamve profitentes viros, quibus, præ aliarum diſciplinarum cultoribus, diſcuſſionis prima dabitur concedeturque opinionum ſententiarumque animique ſenſorum liberè effandorum, cum poteſtate, opportunitas; viris, ut intercedentibus, rem pertractandam intelligentibus,

bus, opus ferveat hoc mellaque hæc thymo redoleant fragrantia illo placidèque serioque rerum agitato examine, victrix, honestissima triumphet, hac in palæstra, tandem & semper veritas;

Cum autem nuperrimè tractatui Cl. G. COCKBURNI, *de morbis gentem infestantibus maritimam*, ex Anglicano, ab me, in sermonem translato Batavum, ab pag. 97. ad 109. ut ubique, luculentissimas adjecerim notas earumque hanc particulam, rogatus, in gratiam virorum, idioma nostrum non intelligentium, latinè reddiderim, eam, disputationis introductorio argumento, ad diem Saturni 9. hujus Aprilis, horâ 9. ædibus meis, offerre volui eruditis venerabundus eoque magis, quia quæ in ea describuntur, repetere ante duos menses atque celebrare experimenta volui ex professo; quæ cum postea, ut & ipsissima Chirurgia (medicinæ generalioris totiusque typus, exemplum, fundamentum) studiosos medicinæ antesignanos plurimos, in ejus rapuere studium, desiderium, amorem, quem quosque fovere, cui quibusque favere cum studeam, hasce exercitationes auspicari non nolui: ne autem ipse præjudicio rapi in hanc artem, vel arbiter

biter dicar ineptus (ſunt enim qui Chirurgiam parvi faciunt) ſufficiat, ex neotericis Clariſſ: MART: LYSTERUM hæc renuntiaviſſe:

A PRIORI QUIDEM ET MORBOS EORUMQUE CURATIONES EXPEDIRI POSSE, VOTUM EST; AT DONEC ILLUD FIAT, LICEAT MIHI EX POSTERIORI, NEMPE, EX CHIRURGICIS MEDICAMENTORUM NOTITIIS, CUM VETERIBUS TUTO MEDICINAM FACERE &c.

AD MEDICAMENTA VERO, QUOD ATTINET, QUATENUS ILLA VETERES EXHIBUERUNT, EX PROPRIA PRAXI ET USU CONFIRMARE DILIGENTER STUDUI. IN HOC ITAQUE SPECIMINE, NON ALIENUM A REBUS MEDICIS FORE CREDIDI, SI ILLORUM VIRTUTES PRIVATIM AB IPSIS FONTIBUS DEDUCEREM, NEMPE, A NOTISSIMIS AC INDUBITATIS ILLORUM EFFECTIBUS CHIRURGICIS; UT SCIANT NOSTRI HOMINES QUANTUM DEBEMUS ANTIQUÆ CHIRURGIÆ, PRÆ NOVA CHIMIA, AUT ULLA HYPOTHETICA DOCTRINA.

Ne tandem in Chirurgiæ potius laudationem, quàm demonſtrationem encheireſinque efferri videar medicam, finem huic impono præfatiunculæ. Dirigat deus. T. O. mentem manumque meam, in afflictorum, Chirurgicè, ipſo adjutore, curandorum commodum; meo ut ſub auſpicio meoque ut ex præſtito officio, artis nobilioris cultores confirmentur periti ejuſque doceantur ſtudioſi probè, indeſinenter, feliciter!

Argu-

Argumenta primæ decadis.

Contenta ſecundæ decadis.

EXERCI-

EXERCITATIO ANATOMICO-CHIRURGICA *PRIMA*; DE NERVIS.

QUIDQUID de ſpiritibus animalibus eorumque per nervos fluxu, verborum plauſtris ratiociniique aſſeratur ſtatuaturque formâ ducaturque in conſequentias; fateor me, poſt omnem exantlatam diligentiam adhibitamque, cum induſtria, inventionem exercitataque experimenta, hujus negotii ſigna, veſtigia reliquiaſve detegere certas indubitandaſque valuiſſe nunquam. Meis autem ut, de novo, ſatisfacerem conventus domeſtici membris, nec non quibuſdam hujuſce urbis medicis, inſtitui A°. 1695. quo inſignis mihi doctorum ætatiſque provectioris auditorum erat corona, quæ ſequuntur, in hanc rem, indagationes diſquiſitioneſque.

Primò; ligatis vinculo tenaciore ſæpiùs majoribus, viventi cani, femoris nunc inguina, nunc genua verſus, nervis, eorum intumeſcentiam infra, nec ſupra ligaturas unquam; arteriolarum verò nervorum membranas perreptantium, vinculum verſus ſuperius, cernere mihi contigit ſemper. 2dò; Soluto, poſt unam alteramque horam, vinculo, nervum vaſaque reperi ſanguifera in priſtinum reſtituta ſtatum officiumque. 3tiò; Nervis diſſectis, abſciſſiſve, neutra de extremitate ſuccus, huic organo quaſi proprius, non ſolùm non manavit; ſed & vi exprimi non potuit ulla. 4tò; Juxta

eorum longitudinem, latitudinem, vel transversim læsi, ne tantum quidem liquoris, quantum, ut vel scalpellus chartave bibula, mollissima, cerulea eo commaculatetur contaminareturve, requiritur, effuderunt. Itò; nervus acu vulneratus, pertususve candescente, quæ ei inhæret crustâ, escarâ mox abrasâ, nullum liquidi reliquit signum, scaturigo, vel vestigium.

Cum maximo cani venatico femoris nervum, per aliquot dies, firmissimo constrictum tenerem vinculo, perdidit, multos post latratus ejulatusque hujus, ut & vicinarum partium usum, motum postea que vitam, irruente in partem ligatam inflammatione & tandem in totum femur, sphacelo: toto verùm hoc temporis intervallo, prædictæ partes alio non intumuere, quam quo in omni solent inflammatione sanguiferorumque constrictione, modo: quinimo nervo scalpelli apice læso, nil ficto isthoc liquore inspissatisque spiritibus effluxit animalibus hisce minus. Quis spectatorum, dum, ut cani vocem adimerem, aut diminuerem, notissimam omninò instituerem nervorum recurrentium, de pari oriundorum vago, abscissionem vulneraque ista consolidarem postea, asserat, isto me curationis tempore, fuisse coactum stillicidium nervei restringere liquoris? quis eorum profluvium illud observavit in cane? cui terebrâ cranii partem abstuli cerebrumque cum membranis laceravi, ipsius expullulationem fortunæ commissi spongiosoque tumori frustulum scalpello abscidi, quis, inquam, eorum stillicidium vidit? quis verò callositatem & animal curatum non vidit postea? Sine fruge fortean quispiam arguat, hoc ex tentamine patere, corticalem unâ cum membranis solummodò cerebri, non verò nervorum protuberare, expullulare cerebri medullarem substantiam; sed quæ quæso pars, cum toto, communi fruens vita, nervo, nerveove caret plexu?

Ligatum, in cane vivente, duplici vinculo superneque, loco quo laterales non conspiciebantur rami abscissumque hosce extra limites nervum, mox antliæ subjeci, vitro inclusum, pneumaticæ: aëre evacuato neque intumuit, neque ab mensura variavit priore: sed verò quod staminibus inhæret ipsis nerveis involucrum quandoque aliquantulum, uno loco, dilatatum videbatur; plura, quæ

quæ in hunc finem; sed frustra, tentavi, prætereo. Postremò; ipsos madore conspersos nervos nunc parum, nunc maximè exsiccatos, tubis vitrisque subjeci opticis, nunquam autem eorum tubulos, cavitates, interstitia detegere potis fui: experior quidem, nervo dissecto compressoque ex ejusdem staminum acervo, superficiem excitari variis apicibus asperam; sed & experior itidem, hasce eminentias, medullosæ duntaxat substantiæ, plus, minusve, pro nervo, duræ, vi factas quasi esse asperitates huncque compressionis actum, violentam potius devastationem, quam partium vocandam extare genuinam demonstrationem. Nervi, ut & tendines ritè exsiccati, ne tubulorum quidem vestigium; sed corpus, ratione artis exsiccandi, plus, minusve relinquunt opacum, vel diaphanum. Quidquid itaque egerim quantumque sudaverim, ad deprehendendos, sic dictos, spiritus animales, quos unus fulminis ictu citius, alter supponit moverit tardè, mihi istos corpore, neque actu, fluendo, stillitando &c. in, aut, extra nervos, conspicere, licuit unquam.

Ipsa nervorum Substantia non aliter perlustrandum sese exhibet, quam formâ indefinitorum, tensilium, pellucidorum, fibrosorum, per universum distributorum corpus, filamentorum, quorum latera, sine interstitiis (quæ sanè inania, secundum auctores, spatia, in viventium corporibus nusquam extant) contiguitate uniuntur, membranâ obvelantur & in fasciculos distinguuntur. Quando hæc filamenta maceratione tepidæ, contritione, compressione, aut putredine ab sese invicem recedunt, transversales quædam in conspectum veniunt fibrulæ, sive illæ vincula sint, quod mihi veritati videtur proximum, sive quorundam fasciculorum ruptæ membranæ, nervo saltem integro, non inveniuntur; addiderim, nullum unquam ab me esse detectum vas lymphaticum intra; sed semper extra, circa & ad involucrorum superficiem ambitumque; multò minus in nervea substantia nervorumve intra fasciculos, in quorum staminibus, interve eorum latera valvulam quoque inveni nullam; quapropter quorundam argumentum illud, abscisso nervo, affusus in tubulorum superficiem (ita vocant) mercurius, intus non ruit; ergo probatur à posteriore, hunc actum

impedientes dari valvulas, nullius sanè est momenti: stamina quippe nervorum solida, non verò corpora sunt tubulosa, vel interstitiis ab sese invicem sejuncta atque ita impossibile est metallum hoc intus ruat: quinimo, etsi digito hoc adegeris presserisque fortiter, nil effeceris; quandoque aliquid, defractis fasciculorum unionibus, iis intruditur; sed verò (ut supra monui) ista demonstrandi methodus viaque ad probationes genuinas tendit ducitque quærentem nequaquam. Colligo tandem spirituum animalium demonstrationem impossibilem eorumqne fluxum in musculos ad eorum actum non esse necessarium: posse & musculi organum, ex propria partium dispositione motuque actuque sanguinis in nervea tendineaque ejus stamina (ut existimo me demonstravisse luculentur) ad officium vocari suum tutò.

Liquidum autem tenue interdumque glutinosum quod nervo tendineve (qui nervus, saltem nerveus est) læso, de vulnere stillitat, lymphaticis imprimis; deinde locis istis debemus, quibus arteriarum extremitates formâ macularum apparent nutritiaque materia, in corporis augmentum, ab sanguine separatur; hic autem arteriarum finis venarumque initium statui, summa cum ratione, potest.

Ut pressius hoc meum sequar probationis assertum; argumento sit, primò; multos, gravi vulnere læsos, ullo sine stillicidio liquidive effusione consolidari nervos. 2dò; quandoque minimo de vulnere liquidi hujus vim, loco manare, quo nulli nervi, id est, oculo detegendi milliesque saltem prædictis minores statuendi, inveniuntur. 3tiò; semper, ubi graviores resolvuntur inflammationes, tenuissimum prorumpere liquorem; exilia verò interioraque sanguifera nervorum tendinearumque membranarum vasa, non nisi iis læsis, ligatis, extensis, compressis &c. conspici; postea autem omnes partes membranaceas eorum acervo undique & undique eorum acervo rigari, patefieri; ita ut hoc casu, nempè, læsionis, compressionis &c. quandoque mox, quandoque post quoddam temporis intervallum, liquidum erumpat, necessum videatur maximè.

Liquet, postremò; ex ipsa læsi abscissive nervi tendinisque cu-

curatione eorumque post curationem constitutione; ut & tractatione in aliis symptomatibus ægritudinibusque, hoc meum assertum, vel hanc meam opinionem (per nervos, nempè, liquorem non meare) rationi & experientiæ esse consentaneam: Quod enim, vel ex levissima carie, periostio, perichondriove læso, stillitat liquidum, nemo renuntiaverit, multo minus de nervo prodire demonstraverit probè: sed ut (lector: ben:) stringente de praxi deprompto utar argumento; si læsis nervis tendinibusque vis prorumperet liquidi hujus magna, prorumperet unquam post femoris, pedis, brachiive amputationem, decurtationem; sed nihil minus, contrahuntur & quod hac occasione aliquando observatur stillicidium, utilitatis (modicum si sit, utpote vulneris incrustationem impediens) est summæ provenitque de arteriis verissimè: in principio enim, multo commixtum sanguine, rubet insigniter, temporis verò tractu ab albo in albidius & tandem in tenacius mutatum copiâque diminutum, sistitur, argumento & demonstrationi læsarum arteriarum extrema contrahi, claudi, consolidari: quod si verò stillicidium illud continuet, expullulat luxuriatque de vulneris (jam nunc ulceris) superficie, spuria spongiosaque caro, quæ vasis lymphaticis suam minimè debet originem, utpote de vulneris termino liquidum suum sursum & ab peripheria ad centrum, revehentibus.

In ulceribus cutaneis minusculis scabieique quadam specie, magnum non rarò liquoris deprehenditur stillicidium, quod æquè ac illud, quod post cantharidum applicationes colligitur, ex nervis, aut tendinibus minimè; sed verò lymphæ sanguinisque ductibus manare, verisimile est.

Submittamus porrò examini ipsam curationem, sive nervei, tendineive dicti, aut ficti hujusce liquoris sistendi desiccandique, læsis eorum staminibus, methodum: omnes hi, duce ratione, conatus, tentamina medicationesque consistunt in hujus liquidi (absque totius corporis, vel partis, in qua id acciderit læsione) repressione; quæ fit, primò; medicamentis adstringentibus, puta vitriolatis, &c. vel 2dò; emplasticis, ut sunt gummi, cera, gypsum, bolus, cerussa & ex hisce compositis. vel 3tiò; instru-

mentis, quorum usus triplex est, videlicet primò ; nervum abscindendo. 2dò ; comburendo. 3tiò ; vinculo constringuendo : quæcunque ex hisce successerit methodus, duo eam sequuntur semper medicationem phænomena, stillicidium hoc sistitur, exsiccatur nervusque abscissus, combustus, vulneratus, ligatus (vinculo putredine seposito) in nodulum, tuberculum, rotundamve duritiem corrugatur, contrahitur ; quod, abscissis moxque contractis complicatisque, sine liquidi emissione, nervis, frequentissimum est symptoma curationisque finis. Id est (secundum me) nervus abscissus, suapte dispositione, ad eum, cui annectitur & a quo oritur, retrahi debet terminum atque hoc modo indefinita ex quibus componitur staminula tenerrima, post extensionem in glomum, plexumve contrahi, accedente jam nunc vicinarum partium compressione, allisione undequaque, constipata, efformant tandem, cum amissione usus istius læsi nervi, descriptam modò rotunditatem nodulumque : quinimo, quo ficciora (salva tamen nerveæ substantiæ flexibilitate) subtilioraque hæc supponuntur stamina, eo citius solidiusque contractio complicatioque hæc, post extensionem (ut in filis sericis aliisque exemplum est) absolvatur, necessum est : ita ut stillicidio, nervo læso, non verò abscisso, perseverante, accidere id solummodò statuendum rear ; quia vas quoddam lymphaticum, unà cum nervo, læsum, unà cum nervo illo in glomum, staminulorum con- & retractione complicari atque ita obturari constiparique non potest : cum itaque nervus, ut nervus i. e. solus læsus nunquam ; vas verò lymphaticum solum læsum, stillicidium hoc patiatur semper, non capio, quare nervo, non verò vasi symptoma illud adscribatur imputeturque lymphatico.

Hoc meum, ut autumo, confirmabunt problema, ganglionum ; quinimo omnium istius generis glutinoso impletorum liquore, pituitosorum (ut ajunt) tumorum 1mò ; exortus. 2dò ; figura. 3tiò ; curatio, ex, gr. lupiæ (non autem disputaverim, monuerimve, quæ hoc nomine indigitantur ulcera) nodi & quidquid istius extat speciei.

Primò ; omnes ex parvulo adaugentur puncto ; in initio (non in-

infestati) nullum; tractu verò temporis aliquid doloris, secum trahentes, verisimile est, vasorum esse protuberantias, quarum quædam, impedito liquoris libero dimittendi fluxu ac potestate (ut in aneurismate ex: est) extenduntur; quædam, contracta parte superiore nihilque dimittentes liquidi, aut ab vicinis compressæ partibus, incrementum capiunt. 2dò; figura ipsis subrotunda est semper: superficies (solummodò autem ubi adoleverint magnumque receperint incrementum visibilibus extus) tenerrimis ornata vasculis sanguiferis; ipse interim tumor ab staminibus nervorum tendinumque extat, ulla sine eorum læsione, separabilis. 3tiò; curationem triplici agredimur methodo (evaporationis enim, transpirationis, maturationis. i. e. contenti liquidi in pus conversionis futile omne est molimen) nempè, 1. frictione crebra. 2. ictu violento. vel 3. vinculi constrictione, tumorem parti adimendo. De duabus prioribus egit animo manuque constans JOBUS VAN MEEKEREN cap. 60. luculenter: mihi quoque non curta etsi harum sit experientia; monuerim tamen tantum in transitu tyronem chirurgum: primò; partem ganglione correptam in solidum, i. e. lignum, nec lapidem &c. Sed genu suum molliter vestitum disponat collocetque, ut, quemadmodum oportet, ei injiciat ictum; vidi etenim vi alioquin percussionis exorta, vel verenda pessimaque symptomata non semel. 2dò; curandi hancce methodum, nisi tumore jam nunc modicè aucto, instituat nunquam: fugit enim ceditque in principio ad & inter partes vicinas mollioresque adhibiti ictus vim atque efficientiam. 3tiò; echymosi dolorique, mox sequentibus, prospiciat sedulò; injiciendo medicamenta malactica, lenientia, minimè verò volatilia. Ultima methodo (filo, nempè, constringendo) ganglionem, eum protuberantem in modum, ut tubere scalpello exempto, vinculum nullius experirer utilitatis, famulo rhedario Hagæcomitis, de carpo sepofui quondam. Quod si ganglion, ut veteres, nullam quandoque nervum inter & tendinem, arteriam imò & venam, nominis ratione, statuentes differentiam, arguunt; ipsorum nerveorum tubulorum esset morbus horumque læsionem, profluvium contentique sequeretur liquidi stillicidium: concutiendi frangendique

dique, si quis instituerer methodum, reverà, ageret imprudenter; utpote quâ necessariò symptoma produceretur violentius moxque indigitatum: cum è contrario fractus ganglionis tumor absque illo evanescat cureturque: hoc verò modo non exceptus, statu, quo prius, maneat, vel (quod ferè semper) augeatur.

Ulterius; si ganglion tendineæ substantiæ sit morbus, nodusve sique tendines nervorum sunt fasciculi, quæ hæc est, quâ tendines abscinduntur, temeritas? (taceo dissectos nervorum posteaque, conservato partis munere, consutos tubulos) quæ tamen operatio, etsi persæpè eam molitus fuerim in brutis, voto nunquam satisfecit meo: forsitan ego tubulum cum tubulo componere nescivi, quod tamen requiritur, ut liquidum nerveum, ut spiritus isti animales, eâdem iterum viâ, officium peragant suum: aut in brutis, ab me perlustratis, liquidum hoc istique spiritus agiliores abscissione ejusque cicatrice repulsi, qui in aliis præsto est, lateralem non invenerunt tramitem; temeritas (inquam) esset & damnanda maximè: abscisso quippe tendine, sequatur, ex hoc argumento, oportet, stillicidium: contrarium cujus evincit docetque, cum ratione, experientia: nervi enim tendinesque, lymphaticis læsis, contusis, gangrænâ correptis &c. ut præsens, vel imminens reprimatur stillicidium, abscinduntur: probabile itaque videtur, nomen ganglionis ab nervorum globoso de vertebris exitu comparativè & solummodò esse desumptum.

Etsi igitur Clariss. COCKBURNUS de spiritibus animalibus verba faciat sæpius, me judice, hisce verbis subtilissimum; sed intra sui morantem systematis vasa, sanguinem, nervorum tendinumque deprimentem, flectentem & ratione extremitatum annexionumque abbreviantem inque actum ducentem stamina, intellectum vult: sin aliter, volens, nolens admittat oportet, non demonstrabilem imperceptibilemque spirituum horum substantiam & à posteriore & nudè assertam operationem, potestatem atque in animantium motum, sine fine, imperium: hoc autem jacto fundamento, omnia mentis ludibria & hujus generis phantasmata, succus nerveus, ejus stillicidium & quidquid ad suffragandum huic opportunum videbitur figmento, actum factumque erit mox; hoc autem si per-

gamus

gamus pede, difficultatis impoſſibilitatiſque non video plus, in concedendis nugaciſſimis veterum aſſertis, de atomis, qualitatibus occultis, entibus non entibus &c., quàm in hiſce ſpiritibus & novatorum quorundam chimicorum particulis, ſine adjectivo, ſalinis, ut & chimæricis de poris, quos omnium figurarum, menſuræ atque diſpoſitionis, nunc flaccidulos ad continuò recipiendum, vel dimittendum quoddam liquidum; nunc verò rigidos adeo forteſque fingunt, ut acidi, ſalis, auſteritatis &c. terebris, cuneis &c. ad eos aperiendos tranſitumque liquido parandum, videatur opus atque hoc ſolummodò; ut à poſteriore argumentantibus phyſicis minutiliſque hiſce Philoſophis, ſuis utendi fruendique poris, tanquam Deo è machina, ad quaſcunque in œconomia animalis removendas difficultates, integerrima naſcatur libertas: me quod attinet, ego facilius honeſtiuſque duco fateri, quædam me latere, hæc quàm & ſimilia, ſine re verba nugamentaque excogitare tyronibuſque plebique pro medicinæ & curationis obtrudere fundamento atque ſtabilimento. Mutabilibus hiſce de formâ & figurâ poris ſpiritibuſque agilioribus myſticiſque, juxta eorum inventores, quod de PROTHEO, VIRGILIUS 4to. Georgicor; aut de VERTUMNO, OVIDIUS, 14. metamorph. renuntiare nobis licebit quoque; ne autem veritatis ſtudioſorum ingeniis oneri videar multiloquio, pluribus, ad ſcopum tamen facientibus meum, ratiocinandi mediis; ut & de hiſce ſpiritibus ſuperſedeo fabellis.

EXERCITATIO ANATOMICO-CHIRURGICA *SECUNDA;* DE HYDATIDIBUS.

LYMPHATICORUM, qui, cum ortu, diſpoſitionem viciniſque cum partibus, negotium eorumque cum myriadibus, uſum obſervavit, inficias non ibit, vaſa hæc, in magnum Reipublicæ Medicæ commodum, ab celebrandis omni veneratione eorum detectoribus, memoriæ typis tabuliſque tradita eleganter abundanterque, ut totum perreptitant corpus (quod, ductu ligato thoracico in genere; lienis omni conſtricto vaſorum apparatu, ante eorum in ejus molem in-et egreſſum, in ſpecie liquet) ita ubique locorum, tum reſpectu ipſius machinæ liquoriſque in ea contenti, cum illorum officii, ægritudinibus ſymptomatibuſque ſubjici quàm plurimis concedetque multum nos; ſi non omne id, quod nobis de eorum revera innoteſcit ſtructura, hujus & ſuperioris ſeculi debere diligentiæ affirmabitque tamen mecum; rerum ſi fuerit arbiter æquus, de eorum morbis, machinam ſive, ſive contenta horumque reſpiciat uſum, nondum eſſe dictum diſtinctè; exemplo ſint de aquoſorum (quod ajunt) tumorum, hæc vaſa reſpicientium genere Hydatides & cum iis cæteræ analogæ partium diſtentiones: harum enim de originatione, progreſſu contentique liquidi diſpoſitione ejuſque ab ſtatu naturali mutatione, ea ſententiarum eſt varietas & confuſa doctrina; ut de iis diſſerere utile mihi videatur & neceſſum maximè.

Vaſorum lymphaticorum, perſpectam etymologiam hiſtori-

amque

amque lectoribus benivolis assertaque (ut pinguedine turgere hydatides & quæ porrò de iis hallucinata est veterum Medico-Chirurgorum schola) jam dudum esse & abundè refutata; ne quod dictum sit prius & satis, dicam iterum, supponens; contendo, Hydatidum multiplex; sed verò distinctu facile, esse genus.

Primum, ex dilatata, inter valvulas, vasis intercapedine; quæ distentio, vase obstructo superius, pro liquidi contenti majore, vel minore ex glandulis impetu, citò, vel tardè absolvitur.

Distentionem hanc valvulas inter; non autem in earum fieri regione, demonstro ipsius ex vasis dispositione, sive structura: valvularum enim latera hoc vinculo; ne ab sese invicem recedant nimium, eo ornantur loci atque hoc modo, distentioni deest opportunitas.

Secundò; etsi lymphæductus, in genere, ab angusto in augustum tubum propagentur abeantque; multis attamen, inter valvulas, locis, varias obtinent, respectu latitudinis, dimensiones ipsæque valvulæ, varia, respectu longitudinis, dimensione, ab sese invicem distant; ut Mercurio, aliove, ipsis infundendo liquido, apparet liquidè; quinimò pondere, aut vi infusionis, quocunque eruperit loco Mercurius, aut aliud ipsis infusum liquidum, nunquam è regione valvularum vasorum latera franguntur.

Obstrui & quo modo, vasa lymphatica, annitor demonstrare schematibus infra propositis. Primò; loco, quo vasis lymphatici latera, præter ordinem, extenduntur, eo loci excitari quandoque obstructionem, ipsis patet, tum in vivis, tum demortuis animalibus: digito quippe eo loci, vicinæ partes tumentes, induratæ & ab obstructionis termino hydatides de majoribus in minores abeuntes, exploratu sunt faciles. Illæ sint exemplo, quæ in labiis, palpebris aliisque tenuioribus, quatuor involucrorum toti corpori communium, velamentis ornatis partibus, observantur. Hæ obstructiones in vasorum si accidant, mox ab glandulis, egressu, digito explorari non poterunt eruntque parvi momenti: vas etenim hoc usu jam nunc destitutum, evanescit superius, id est, oculum fugit &, ut multa vasa, in formam membranaceæ striæ ligamentive obliterat, delitescit; si in parte, ab glandulis remotiore, ipsa

cum concreti inſpiſſatique liquidi maſſa hydatidumque ſerie (ut ſupra) extabunt demonſtrabiles.

Secundò; ſi vulneris, ulceriſve cicatrice, vas hoc intercipiatur obtureturque, aut membranæ, cui inhæret (ſunt enim membranæ, quotquot & quo ſint loco, ſingulæ & omnes, tendines) convulſione alibi locorum conſtringatur, vel ipſum vas ab vicinis hoc, illove loco, eum in modum, comprimatur partibus; ut muneri obeundo par non ſit, vel parietum coaleſcentiâ officio deſtituatur, excitari neceſſariò vaſis interioris partis diſtentionem formarique hydatides, nemo negaverit Phyſico-Chirurgus, ſequentibus præſertim perluſtratis conſideratiſque demonſtrationibus; quarum prior (vide tabulæ primæ, fig: ſecund:) exhibet ex corpore humano benè conſtituto, vas lymphaticum Mercurio, expulsâ lymphâ, diſtentum, literis in qua deſignantur;

A. GLANDULA, EX QUA VAS MAGNUM ET AB LATERE ERUMPIT MINUS
B.B. LYMPHATICUM; IN MAGNO PROSTANT
C.C. VALVULÆ, VARIA DIMENSIONE, AB SESE INVICEM DISTANTES.
D. MEMBRANA, CUI HÆC INHÆRENT VASA.

Lymphatici hujus vaſis pars quædam, ab glandula remota; ſi comprimatur, obturetur, claudatur, accidit parti compreſſioni proximæ, primò, deinde & ſequentibus, quod ſchemate tertio exprimitur, malæ deſtructæque conformationis & tandem in hydatidem mutationis infortunium, morbus, ſymptoma. Hac in fig: 3. proponitur;

A. VASIS LYMPHATICI, AB GLANDULA SEPARATI, INITIUM.
B.C. MEMBRANA, CUI AFFIXUM EST.
D.D. LOCUS, QUO VAS HOC OBTURATUR.
E. VASIS INTERCAPEDO, OBTURATIONI, OBSTRUCTIONIVE PROXIMA.
F. REMOTA.
G. REMOTIOR.
H. VASIS PARS PRISTINAM OBTINENS, PRÆTER PROPTER, FIGURAM.

Ex

Ex hac demonstratione patet, fungente, cum arteriis, glandula suo munere, debere primò; ut punctis notatur, intercapedines prædictas inter valvulas, obturationis termino proximas, deinde & cæteras extendi mutarique vasis, hac parte, longitudinem, principio in ovalem posteaque plus minusve rotundiorem figuram.

Quo autem modo, tractu temporis, hydatidum conficiatur, magnitudine varians acervus & catena pendulæque deciduæque hydatides fiant (de quibus infra latius) exhibet fig: 4ta. denotans literis,

A. A. A. A. A. Membranam, cui adnascitur vas lymphaticum.

B. Partem extensam in globum, quem sequuntur intercapedinum

C. D. E. F. G. H. Minores extensiones, usque dum pristinam servare i. i. conformationem videantur: valvularum loca lineis designantur perpendicularibus, notatis.

K. K. K. K. K.

Cum autem vasa hæc variam patiantur, respectu latitudinis, ut & distantiæ ab sese invicem, valvularum dimensionem; quinimò eorum corpus substantiâ, fabricâ ubique locorum ejusdem non sit firmitatis, duritiei, mollitiei, tensilitatis &c. fit; ut hæ hydatides quoque magnitudine, figurâ, duritie, tensilitate &c. differant.

. Secundum hydatidum genus istis nascitur locis glandosis, in quibus arteriæ finem venæque initium statuo, (inspice disput: Physiologico-anatom: meam 4tam.) nutritiaque ab sanguine separatur materia vasaque initium ducunt lymphatica.

Hujus generis ortus progressusque hi videntur. Liquidum in corporis incrementum ab sanguine segregatum in partes, quibus erat destinatum, ægritudine, sive mala dispositione, correptas, non transiens, iisve non oppositum, extendit tractu temporis, (arteriâ huic parti propriâ laticem continuò effundente suum vasisque recipientibus venosis reducendum sanguinem) ista loca &

quoniam illa circumseptione non carent, formam munusque obtinent glandulæ, extruitur sacculus membranaceus tumorque hic, qui non rarò multas; primi generis, complectitur hydatides adeoque tandem incrassatur, ut dimidii digiti quandoque superet latitudinem; membranas autem ægritudine accedentium, ut & contentorum liquidorum, correptas, mole augeri semper, verum, quàm quod verissimum est. Huic hydatidum coetui sanguifera inhærent vasa copiosè, imo & in parte tumoris interiore conspicienda, quæ in primo genere, ut plurimum, vix deteguntur.

Duorum horum generum tumorum quamvis plurima mihi sint exempla, unum tamen solummodò; sed utrumque comprehendens genus, referre assertaque mea quoque commonstrare practicè deque curatione, juxta animi mei religionem, operæ-pretium credidi, agere apertè;

Monere autem mihi liceat in antecessum, Primò; hasce & similes hydatides non curari, nisi chirurgicè, id est, comprimendo, deligando, extirpando scalpello, forfice, igne: rejicio enim, ni fallor, jure merito de supellectile instrumentorum, hoc in morbo, acum auream cum ferrea. 2dò; causticis (potentialibus ut vocant) nihil effici tutò; è contrario, digito, quæ explorari possunt hydatides, instrumentis peti posse tractarique cujuscunque sint magnitudinis, loci, aut figuræ, ullo sine vitæ discrimine auferrique probè. 3tiò; glandosa obsidentes viscera hydatides, puta hepar, lienem &c. curari nunquam. Exemplum mox indigitatum, hoc est.

Anno 1699, octobris 11mo. post iteratas tumoris uniformis, unicoloris, durioris, parvi doloris, magni tamen oneris: erat enim spithamæ dimensionis, ab auris regione usque in posticam superioremque scapulæ dextræ extensi partem, inspectiones atque cum celeb: medico van Leeuwen, dexterrim. chirurgis van Eyk & Koeks, consultationes, abstuli, Roterodami, viro mercatori, Jacobo van Helmont, statura proceriore & robusta, annorum 32. humero ipsi jam ab sex annis impositam sarcinam, hac methodo.

Dissecui, linea, tumoris parte media, perpendiculari, tria generalio-


Tab: 1.
Pag: 15.
Fig: 1.
Fig: 3.
Fig: 2.
Fig: 4.

raliora corporis, manu mea chirurgique VAN EYK elevata de tumore velamina; verum eo non prodeunte, membranam musculorum, toti systemati universalem perforavi; sed neque & nunc in conspectum assurgente, musculum trapezium, parte qua ab colli vertebrarum spinis descendit, findere non destiti, obliquè hoc modo pertusis recedentibusque hisce fibris motricibus versus tendinum alligationes, erumpit mox tumor, qui, dum eum digito liberum ab vicinis sistere molior partibus, ea rumpitur vi, ut ego & adstantes (inter quos quidam Med. studiosi) ejus latice conspergeremur conspurcaremurque fœdè: eo partim expulso, immitto vulneri digitum experiorque intus monstra ali, tumores, nempè, latitare intus varios; comprimo itaque cloacæ ima, prosiliunt ilicò variæ magnitudinis, figuræ & distentionis tumores, quidam soli, quidam connexi inter sese invicem, quidam pellucidi, quidam opaci, ad numerum 36 & plures (abstulerat enim mox clanculum discipulus chirurgus quosdam, quorum octo mihi postea tradidit) hisce sepositis, arripio, cui infarcti erant separoque de vicinis partibus, multa non sine molestia sanguinisque effusione, sacculum impleoque hiantis magnique vulneris cavam, carpto gypso consperso prospicioque lateribus labiisque compressulis, ligaturis, verbo, chirurgicè. Perlustrato ter quaterve postea vulneris statu, committo ejus curationem, cum medico, chirurgis, qui eâ diligentiâ eâque felicitate rem peregere, ut intra quatuor septimanas domo exierit; octavâ autem integerrimè extiterit curatus, fruens in hoc usque momentum, ut hujus anni 1707. 7mo martii mensis, mihi tabellis primò; deinde suâ præsentiâ significavit gratulabundus, valetudine prosperrima.

Ut autem (lect. beniv.) tibi satisfiat plenissimè, en hujus tumoris delineationem Tabulæque Prim: fig: primæ explicationem, partem hujus jam nunc de corpore producti tumoris, exhibentem (totum enim depingere saccum, neque omnes in eo latitantes tumores, necessum reor) turbido partim partimque limpido, multos suo latici liberè innatantes, aut parietibus affixos, comprehendentem tumores hydatides.

A. PARS

A. PARS MEMBRANÆ HYDATIDIS, IN FORMAM SACCI, EXTENSÆ.
B.B.B. SACCULI CRASSITIES.
C.D.E. LAMELLÆ, EX QUIBUS CONFLATUS ERAT, SEPARATU FACILLIMÆ, QUARUM INTERIORES TENUISSIMÆ AËRI EXPOSITÆ, DIMIDII DIEI SPATIO, PELLUCIDÆ APPAREBANT.
F. FLACCIDA MEMBRANA.
G. VASA SANGUIFERA PER SACCULUM DISPERSA.
H.I.K.K.K. HYDATIDES IPSI AFFIXÆ SACCULO, QUARUM PRIOR, EX PARTE PENDULA CONSPICIEBATUR.

Sequentibus literis designantur Hydatides, de sacculo, unâ cum ejus latice, è vulnere propulsæ.

L.L. EARUM QUÆDAM MAJOR ET MINOR, IN QUIBUS MINUTISSIMA.
M.M. VASA SANGUIFERA ET AVULSIONES AB SACCO MEMBRANACEO, CONSPICIEBANTUR.
N.O. PELLUCIDÆ ET VITRI INSTAR SPLENDENTES, } HYDATIDES.
P.P.Q. OBLONGÆ, } HYDATIDES.
R. RUPTÆ, } HYDATIDES.
S.T.T.T. VARIÆ, MINORES, } HYDATIDES.

Concatenatæ hydatides pondere moleque minores, aut motu non agitatæ violentiore sacculo prædicto, aut parti, in qua excitantur, manent affixæ;

Si verò, tractu temporis, pondus & moles ingravescat, aut motu agitenter violentiore, prædictum in sacculum, aut partes inter vicinas, ratione majoris, aut minoris contiguitatis, mollitiei &c. cedentes, loca quærunt fiuntque eruntque suntque hydatides plus, minusve pendulæ. (1)

Quod si pondus, moles & violentior motus ingravescat ulterius, decidunt in prædictum sacculum, aut partes inter vicinas, quibus recedere facta est opportunitas atque hoc casu unà, aut multæ sunt; sed sine sacculo & liquore cui innatent, hydatides deciduæ. (2)

Quod


Fig: 1.
Fig: 2.
Fig: 3.
Fig: 4.

Quod ſi excitentur in partibus, cavitate donatis, quibus quædam de corpore eliminanda extant, de corpore rejiciuntur. (3) eruntque nuncupandæ rejiciendæ, videlicet, virtute machinæ corporis, aut medicè; raro chirurgicè.

Trium harum ſpecierum recitaturus exempla, non poſſum in anteceſſum non narrare, quid AMSTELÆDAMI, ſimili cum HELMONTII tumore acciderit:

Similem cum, forte fortuna, ante aliquot annos, aperuiſſet tumorem AMSTELÆDAMI, medicaſter quidam VALENTYN, perſuaſit ægræ, ex incantatione malum hoc traxiſſe originem; credulum mox ſpargitur in vulgum fabulæ rumor impoſtorque lucripeta, famæ quoque inhians, pendulas deciduaſque haſce hydatides ei pro ovis obtrudit, eâ quidem impudentiâ & animi firmitate; ut, non ægra, ut non vulgus tantùm; ſed & non inferioris ſubſellii cives (taceo quoſdam medicaſtros lippoſque alioſque imperitos; ſed muneribus aliàs ſpectabiles viros) de tramite rationis prudentiæ & pietatis ſeducerentur figmentoque fidem adhiberent ipſeque ego (fores enim ipſius populi nocte dieque rerum novarum cupidi obſidebat agmen) intrarumpere vix potuerim poſteaque fuerim expertus, eorum multos in hoc uſque momentum, credulitatis hujus, ne dixerim fidei, ſervare reliquias & ſtigmata.

Hæc refero, ut tyrones medico chirurgi, dum actu quid opus ſit, ſimul & diſcant reſiſtere præjudiciis, fallaciis impoſtoribuſque, quorum turba medicinam chirurgiamque, pro viribus ſuis laceſſere, deprimere, perdere deſiſtet nunquam.

Primò; in membranis quæ naſcuntur hydatides, veſiculas exſtruunt depreſſas, vel fiunt pendulæ tardius, aut citius, magno, aut parvo pedunculo, pro minore, vel majore ſucci lymphatici in eas impetu, aut minore, vel majore teneritudine, vel denſitate ipſius, cui affiguntur, membranæ. Hujus exemplum, ut minora & ab aliis recitata, taceam, vidi ante aliquot annos AMSTELÆDAMI, cum famigeratiſſ: Medic. EGB. VEEN, in cadavere uxoris ſutoris; una quæ hydatis pendula (nulla quippe alia ei erat infarcta) ovario alligata dextro, libras capiebat liquidi non fœtentis; ſed turbiduli XL. ea cum ventris diſtenſione inferioris, ut

impraegnatam jurasses & non sine verisimilitudine, quoniam antea trium liberorum extiterat mater annosque ultra 37. non numerasset.

Pendulas hasce hydatides variis in corpore locis; imo & in placentis quandoque detegi uterinis, exemplo doceo & imagine sequenti.

Tab: secundæ explicatio.

A. Placentæ uterinæ, unà cum sex mensium, vita destituto, masculo abortu, de utero mulieris XXXVII. annor. expulsæ, pars magna, in qua observantur;

A. Hydatides pendulæ majores.

B. .... Minores.
C.C. .... Flaccidæ.
D.D. .... Fractæ.

E.E. Vasa sanguifera.

F. Hydatides et

G. Membranæ complicatæ.

H. Pars quædam, instar carnis glandosæ, compacta.

I.I. Racemus minimarum, opacarum et duriorum hydatidum.


Huic observationi non imparem videat lect. beniv. quoque apud alios, quibus hæ hydatides, placentæ glandulæ minutissimæ videntur, cum probatu sit facile, eas lymphaticorum systemati suam debere originem.

Secundò; deciduas hydatides, formicarum ovis simillimas, in hepate, multo, variis locis, pure turgente, atque hoc modò locum ipsis in eo latice cedente, quatuor ante annos, auditoribus meis demonstravi in nosocomio.


Tertiò; rejiciendarum hydatidum (prædictæ classis speciem) acervos in naso, stomacho, intestinis, utero, vesica &c. locis excretioni cuidam aptis natis, detexi multoties, quarum cum vobis exemplum ex clariss. quondam hujus urbis medici Cossonii com-

Tab: 2.





Tab: 3.



communicatione, ſequenti delineatione, communico.

Refert hæc rejiciendas, vel ſi malueris, dejectas jam nunc per anum, hydatides, quæ in corpore fractæ quandoque cum intermixtis membranis gluten album albumenque exprimunt ovorum multasque expelluntur ad libras; ut in hoc caſu factum fuit.

Tabulæ tertiæ explicatio.

A. A. Hydatides rejiciendæ, mole majores, opacæ.
B. B. . . . . Minores, pellucidae.
C. rotundae, splendentes.
D. Quaedam, quarum pelliculae ab sese invicem recedunt.
F. --- Variæ figurae.
F. Complicatae.

Quærat quiſpiam, non immeritò, quid obſtet, quo minus teneræ hydatides tumoreſques decidui non frangantur ſuccumque inter & in alias partes non effundant ſuum, multo vicinarum partium motu & alliſione agitati ſemper?

Reſpondeo: Primò; hydatidum membranas, morbo correptas, nempè, denſiores fieri tenſilioreſque atque contentum in iis liquidum, purum, putum diu poſſe reſiſtere motui, mutationi putredini atque proinde non frangi ſemper.

2dò; fieri & accidere illud ſæpius, medicis, vel chirurgis id non obſervantibus indeque varios latices (reſpectu commiſcendorum, cum hocce vicinarum partium liquorum) forma ſub varia varioque ſub; ſed non vero nomine, nunc medicè, nunc chirurgicè, nunc & vittute organorum, quæ occupant, de corpore eliminari.

De hydatidum porrò figura nemini non coſtabit, eam; videlicet, ut plurimum eſſe rotundam, vel ſphæricam; ſed verò ratione ipſius vaſis lymphatici inter valvulas varia dimenſione (vide

pag: 12. lin: 5. (6. 7. 8.) quandoque & debere extare variam, verum globosam, ex parte, semper.

Est & aliud hydatidum (tertium) genus, cognitu apprimè dignum, labiis internè scorbuticorum familiaris morbus: invadit illa ex albo, nempè, livida, sine dolore, quantocyus flaccescens, albescens ulcerisque formam fingens induensque, depressum tuberculum, quod, ni memoranda mox exceperis methodo, cum labiis genas cumque hisce ossa gangrænâ, sphacelo, carie corrumpit & non rarò homini vitam adimit.

Esse principium hujus mali partemque primò affectam, loci in quo nutritionis negotium absolvitur, lymphaticorum vasorum, cum levi eorum eminentia; ex hisce liquet phænomenis.

Primò; priusquam, hoc tuberculum, vel ejus generis quædam apparent, turget languido somnolentoque homini in genere facies, in specie labium, victum respuenti alvumque non deponenti, torpent artus omnique totique deest corpori vigor.

2dò; tuberculum hoc nunquam in pustulæ formam, rubedine consperam, sequenti quod in classe plus, minusve pro corporum dispositione, observatur, assurgit; sed ab apparitionis tempore brevi flaccescens, intra biduum ulcusculi impuri, in fundo albescentis, cum labiis duris, obtinet faciem. Fundo pertuso liquidi aliquid; sanguinis verò; nisi profundius ei intruseris scalpellum, emittitur nihil.

Si unquam, jam nunc res agitur magna, chirurgo pertractanda; sed confestim; quod si etenim moras nectitaverit, peragenda procrastinaverit, egerit imprudenter: totam itaque hanc; imo & vicinas pertundat, convulneret partes, usque dum sanguinis puri, puti insignior defluat copia, crebris scalpelli ictibus (scarificationibus dicunt) fricetque *vitrioli cyprini solutione* repetatque hunc actum bis, vel ter ea die agatque, respectu totius corporis, remediis volatilibus medicè: crudescente jam nunc parte affecta, injiciat ei

cheli-

chelidonii ſucci ſaccharati, vel ejus nominis *mel*, largam portionem geniſque maxillæque inferiori ſæpiſſimè iterandum ex herbis ſeminibuſque fragrantibus &c. fotum; caveat autem ſibi, ne hoc temporis morbique ſtatu *ſpiritu* utatur *vini*; ejus enim inſperſione ulcuſculi, vel apertæ hydatidis, cum fundo, margines indurantur: abſtineat quoque *mirrha*, *aloë*, &c.

Hac ſervavi methodo, Deo adjutore! Nobiliſſ. Juvenem annorum tum temporis vix quinque, hoc jam tempore, noſtro in Athenæo Themidem venerantem, in quo hic morbus derepentè, id eſt, duorum dierum ſpatio, ab aciculæ capitis magnitudinis tuberculo, ad digiti latitudinis circulum inferiore in labio exſpatiatum divagatumque vidimus.

Curavi hoc modo, haud ita pridem, Amstelædami, poſtquam 6to, aut 7mo: ab morbi initio die, eum deſeruerat, ut mortis candidatum, chirurgus, puerum 8. annor: Judæum: curavi, inquam; ſed non ſine ſiniſtri totius oſſis propriè dicti, maxillæ ſuperioris ablatione, quod in rei exemplum poſſideo; ſed non itidem eo in ſtatu morbi, fœtentibus, nempè, ſquallentibuſque partibus mollioribus oſſeque nigricante, ſine *ſpir: vin: ung: fuſci Felic. Wurtzii* iterata creberrimaque inſperſione. Quod mirabere (lect: beniv:) tota quanta, tanto, quæ juveni jam nunc de vulnere relicta, vix hujus appoſiti circuli circumferentiæ, parva cum faciei deformitate, cicatrix eſt.



Majoris momenti poterit videri tertium, quod ſequitur, exemplum; primarios hac in curatione Amstelædamenses medico chirurgos eo tempore habui conſultores adjutoreſque habeoque & hoc tempore rei geſtæ teſtes.

Filius ſartoris annos agens circiter novem, Amstelædami hoc morbo adeo corripiebatur violenter: ut 4to, aut quinto die, livido fœtentique ex ulcuſculo, totum ferè inferius vitâ extaret deſtitutum labium. Præſtabam, quod potis eram, medicamen-

tis incisionibusque leviusculis (scarificationibus) sed sine fruge. Hoc in casu dubio; si unquam, chirurgico ausu (absit jactantia) forfice partes resecui correptas atque cicatrice, mediis vulgaribus, obduxi facilè. Inter curandum autem observabam, deficiente labio, parte maxima, salivâ madere conspurcarique pueri pectus de die in diem fœdius; ita ut bracteâ tandem capsulâ, mento appensâ, eam recipere adigeretur osque ipsi ringens, nobilioris in artis dedecus, ab me factum videretur; ut non sine indignatione operationis meæ censores & post ictum cum piscatore sapientes nomothetæ quidam medici & chirurgi increpitabant: hoc, etsi stomacho vitæ stadio illo valebam; concoquere tamen non valebam: aliud propterea quid aggrediebar audebamque, cultello, nempè, myrtiformi, quod in mento labii reliquum erat, ab conhærentiis resolvi unàque cum angulis superioris labii suturâ intercepi confirmavique solidè: en tragœdiæ felicem catastropham liberavi enim puerum memoratis ab molestiis eò quoque usque, ut applaudendo criticis meis extaret exemplo.

In castris hoc grassari morbi genus vehementer, autumnali præsertim tempore, regionibus sub jove frigidiore, prætermittendum hic non videtur, ut & prædicto pede curari rité.

Hisce enarratis perceptu concessuque faciliora erunt mea cogitata rationesque, quare hunc morbum, genus speciemve dixerim hydatidum sphacelumque iis alium aliterque constituerim, quàm cæteris corporis partibus; Ut rem extra omnem dubitationis collocem aleam, audi (lector: beniv:) multa, quæ doceant propositi veritatem ulterius: unicuique parti corporis, pro sua dispositione, esse specificos morbos, in confesso apud omnes est: ex: gr: arteria, vena, nervus &c. ex morbo an laboret? phænomena indigitant specifica, nulli alteri parti tribuenda. Sic in hoc morbo quæcunque apparent, nutritii lymphaticorumque spectitant, cum partis vesiculari elevatione, ut supra & ex ipsa jam liquet curatione, organum.

Mo-

Moriuntur autem, hoc morbo affectæ partes citius, alio quàm quidem aliæ ſphacelo corripiendæ; qui partes hæ in anteceſſum, ſtagnante liquido nutritio partim in organo ſecretionis partimque in lymphaticis (ſanguinis proinde quoque munere deſtitutis vaſis) jam nunc intus ad mortem, ad ſphacelum ſunt diſpoſitæ proximè; cum in alias partes, puta carnem, vaſa ſanguifera, glandulas &c. prævia non ſine & in partibus vicinis perſeverante inflammatione, ſphacelus agat eique vitalis mobiliorque reſiſtat latex ſanguineus: eſſe & ſphacelum, ratione diſpoſitionis partium, varium, in nervorum cætu patet diſtinctè: nervus quippe inferiùs, pone in manu, ſphacelo exceptus, ſeparatur, vicinis conſervatis partibus, uſque quandoque in ipſam axillam; hic verò arteriaque venaque &c. conſervabuntur ſphacelo in totum corrupto muſculo eis adhærente quàm proximè.

Ut autem in hoc morbi genere nutritionis lymphaticorumque cum contentis organum & vaſa deſtituuntur munere ſanguifera illaque cum iis perduntur; ita in ſequenti genere lymphatica per ſanguifera peſſundantur.

Sed vide (lect: beniv:) hunc affectum ne cum ulcere virulento, corroſivo, arrodente, neque cum ulcere in genere, quod Græci νομὴν dixere, confundas: omnia enim illa ulcera aliâ principia, alios progreſſus, alia phænomena aliamque obtinent curationem, de quibus ſingulatim dicere unius diſſertationis, nec pagellæ eſt; ne autem de verbis lis & in verbis verſari hæc videatur doctrina; concedo facilè, lymphatica in hoc morbo, cum organo ſecretionis ſucci nutritii, ſphacelo vexari ſui generis i. e. ab omni ſphacelo diſtinguendo & hac dicendi nuncupandique methodo poſſe renuntiari, hunc morbum eſſe lymphaticorum & nutritionis organi ſphacelum: eſto, modò phænomena deſcripta curatio ſequatur præſcripta, juxta rationem, ſemper, ſufficiat. Quare autem hunc lymphaticorum affectum ad hydatidum quoddam retulerim genus, monui ſupra repetoque verbo; quia in eo mox ab initio vas lymphaticum organumque ſecretionis ſucci nutritii turget.

Ubi

Ubi arteriæ & venæ, latice nutritio in partes detruso, lymphaticorum radices, paululum ab earum glandoso de organo (supra descripto) progessu, extus implicant, intricant, obambulant, adeo; ut munere suo debitè fungi nequeant, nascitur tumor hydatico-sarcomaticus, id est, in quo sanguiferis luxuriantibus, lymphatica opprimuntur citissimè eorumque limpidus latex parum, in initio, postea verò nihil augetur: extus itaque sarcomatis ex livido rubentis, intus verò hydatidis, laticem retinentis primum, præbet faciem.

Hoc tumorum genus, labiis genisque frequens, vulgò cancrum; sed malè, vocant; cancer quippe glandularum conglomeratarum, non verò lymphaticorum morbus est.

Horum tumorum, memoriæ mandanda plurima suppeditavit exempla, praxis mihi mea chirurgica; præprimis in viro publicano, Annorum 26. aut 27., cui inferius labium hisce tumoribus, usque adeo intumescebat, claudi, ut nullo potuit modo, horrendo adspectu nudi prostarent dentes salivaque de ore, cum dolore fluitaret acerbiore continuò. Multis incassum ab aliis adhibitis remediis, mihi tandem, de vita jam quasi desperans, curationem committit, quam scalpelli forficisque ope auspicor; quam autem operationem; nisi post integræ horæ intervallum multasqne ægri vociferationes, absolvo. Horum tuberculorum, variæ magnitudinis, quædam racematim cohærentia (semina cancri vocant) una vice, quædam verò singulatim, ad insignem numerum, multa sectione atque incisione aufero: omnium maximus tumor, dimensionem nucis avellanæ non excedebat; multitudine, non autem magnitudine conspicui extant. Hæmorrhagiam restringuo spongiis, gypso auxiliantisque juvenis digito, carpto obvoluto, vulnerata vasa comprimentis. Peracto negotio omnique singuloque deposito tuberculo, vulneribus lacerationibusque prospicio chirurgicè. Sequenti die, apparatu amoto, pendulum video & quasi sine motu & vita labium; videt sentitque illud & æger, heu! quibus me, impatiens iræ dixerim, an furoris, non lacerat

scindit-

ſcinditque dicteriis ſcommatibuſque! ut me criminatur! inſcitiæ, crudelitatis &c. contumeliosè. Sed expedio rem: curatur; notiſſimis ex melle ſpirituque vini remediis labiumque ſpleniis machiniſque ex charta, ligno, linteo, corio, pro re nata, confectis ſuffultum, corrugatur; ita ut, quod patulum invitus nuper, jam nunc, ſi velit, occluſum habeat os.

Non poſſum ſatis mirari, Clariſſ: Solingium, virum mihi amicitiâ quondam conjunctum, cap: 36. Operat: Chirurg: dictitaviſſe, *forficem, hac in operatione nullius, acum verò multi eſſe uſus hæmorrhagiamque cauterio extare deprimendam actuali.* Crediderim ipſi, veteres, hac in parte, imò & nominis hujus morbi reſpectu, ſequenti, veram non innotuiſſe hujus tumoris diſpoſitionem, nec extirpationis methodum, ab qua tamen tota & omnis dependet rei exitus; videlicet, labium pollice & digito indice ad ejus extima ora firmiſſimè arrepto, invertendum extrorſum & nunquam, niſi re peracta plenè, dimittendum; quinimò quemcunque avulſeris tumorem, eum auferendum per alium, cui & ſanguinis repreſſio, ut ſupra, commendanda. Si æger laſſatus tuque digitos remittere cogeris, fac genas intus interim labiumque detergas, perluſtres exploreſque, an tumoris quid, quod omiſeris, tranſieris, reperiatur & pergas eodem, quo incepiſti, modò. Poſt curationem labium illud tenue cum ſuperiore (& ſic vice verſa, in ſuperiore ſi ſit) quoniam mole differt, interius ſolummodò conjungitur clauditurque, eminente atque propendente labiorum altero.

Hiſce anatomicè perluſtratis tumoribus, eorum, ut ſupra innui, detexi diſpoſitionem, fabricam, texturam; eſſe, nempè, hydatides ſui generis, habentes, cum tumore *moro*, commune nihil: quod mox tumoribus diſſectis ad oculum patet: liquidi in *moro* intus enim nihil, hiſce verò in tumoribus pellicula intus duriore obvelatis liquidi purioris, vel poſt longum temporis intervallum, tenacioris multum; puris tamen, ut hoc obiter moneam, formam induens, nunquam.

Ne postremò vobis (Tyrones medico-chirurgi: quibusdam etenim imposuerunt) similitudine cum prædicto aliisque imponant morbis, qui pessima ex consuetudine, irâ, aut furore, ab dentium compressione in labia, exstruuntur tumores, hæc vobis animadvertenda.

Primò; hosce tumores livescere, dolere, extuberare post actum mox; sed 2dò; pallescere, non dolere, flaccescere itidem mox curarique brevì, adhibitis, 3tiò (dentibus carpto obvolutis, ne de novo inter sese collidantur eundemque comprimant locum) *spiritu vini tepidâ diluto*, parti affectæ ipsique labio exterius *defens: Vigon:* quod si avulsi quid vix labio cohæreat, forfice auferendum illicò vulnerique primò; *aq: litharg*; deinde *mel* inspergendum *rosaceum*.

Quamvis (lector: beniv:) hac exercitatione de generali specificaque Hydrope tumoribusque symptomatibusque chyli lymphæque organa porrò spectantibus; dicendi nata mihi proba factaque videatur opportunitas, subsisto (affinitate etenim non ficta, cum hisce & alia conjuncta incedunt tumorum genera, longum quorum dimetiri syrma, non negligam impostèrum) ne ab scopo, mihi hoc temporis momento proposito, avertar, quàm opportet, longius.

EXERCI-

EXERCITATIO ANATOMICO-CHIRURGICA *TERTIA*; DE PHLYCTÆNA.

Uno eodemque nomine diversissimos aliquando indigitari morbos eosque singulos cum definitione nequaquam convenire, insigne, præ cæteris, in phlyctæna exemplum est.

In cruribus brachiisque oculisque uno nomine venit morbus, Phlyctæna; neutrum tamen eorum, definitioni huic, aut illi, ab auctoribus in hoc usque momentum traditæ in genere, aut specie respondere, patebit ex sequentibus liquidò.

Ipsi autem voci ejusque propriæ significationi non inhærentes (sive etenim illa ab ebulliendo, vel bullas excitando, φλύζειν, deducta sit meritò, vel non, ad rem faciet parum) submittamus examini morbi descriptionem; qui utriusque partis, nunc inflationis vacuæ, nunc vesicæ liquore subflavo, vel limpido lucidoque impletæ, modo pustulæ & mox hydatidis formâ, describitur; harum autem descriptionum nullam morbi phlyctænæ exhibere vim, multò minus indolem, colligere est ex utriusque morbi cum illa comparatione, ex qua constabit, Phlyctænam artuum esse, ab ea oculorum, diversissimam.

Primò; Phlyctæna artuum formâ pellucidarum vesicularum liquore nunc subflavo, nunc albido, magnâ copiâ, plurimis locis, citò, cum pruritu erumpens, cuticulam elevat; non pertusa, aut exsiccata mox facile scabiei, exedentis ulcusculi, herpetisve,

ve, squammosæ, furfuraceæ &c. characterem exprimit.

2dò; Phlyctæna verò, oculi membranas anteriores, non autem cutim occupans, nunquam in vesicæ formam, id est, cum pellicula assurgens, intus non excavatur liquidique continet nihil, unà, lentò, sine pruritu & semper rubra erumpens, ni curetur, ulceris, ne indurati, vel exsiccati quidem unquam; *panni* verò quandoque induit characterem; ita ut cum Phlyctæna artuum epinyctides, esseræ &c. cum ea oculorum panni initium, rarior papula &c. similitudinis aliquid, essentiæ verò nihil habere, ex earum descriptione constet probeturque nominibus nil fidendum, neque, ut ab multis assertum habemus, ex græcis titulis morbis inscriptis, morborum indolem posse percipi. Opportet ergo huic, aut illi diversissimorum prædictorum morborum alius inscribatur titulus, ne sub improprio nomine, huic, quæ illi est adhibenda, adhibeatur medicatio; quod saltem tyronibus, vel ad titulum morbi, absente ægro, medico-chirurgis accidere facile potest; si quoque hæc & illa Phlyctæna eadem idemque esset morbus, unum & idem sufficeret remediorum genus.

Priusquam autem de curatione verba nobis sint, perlustremus (lect: beniv:) partes, quæ primariò, secundùm auctores, in hoc & illo prædicto morbo afficiuntur: unus venas, lymphæductus eorumque extravasatum liquidum, glandulas oculorum serosumque earum excrementum; membranas alter, bilem salsam, pituitam, retentum menstruosum sanguinem, fermentum acre & salinum & quæ porrò istius farinæ plura passim inveniuntur, inculcat atque increpitat.

Ut modò diversas horum morborum apparentias, ita jam nunc ostendere conabor, diversa planè in iis primariò affici organa: in artuum, nempè, Phlyctæna cutaneas glandulas papillariaque cutis corpora, in ea verò oculorum, solummodò arteriam.

Ad prim: in artuum, crurum, manuum pedumque, sic dicta Phlyctæna elevatur, variis cum tuberculis vesiculosis, cuticula, quâ ablatâ detersoque liquore, asperitates eminentiæque, plus, minusve, pro glandularum, aut papillarum majore, aut minore affectione, duræ, aut flaccidæ conspiciuntur, eodem fermè ad-

spectu,

ſpectu, ac ſi cuti veſicatorium, vel leve aliud quoddam eſſet impoſitum cauſticum. Mador hic raro ultra quartum, aut quintum diem ſtillitare continuat, quibus pars affecta conſolidatur denuò, vel in ſcabioſum degenerat ulcus, cum circum jacentium partium induratione, inflammatione, excoriatione &c. non rarò, inveteraſcentibus hiſce ulceribus, cutaneo tegmini fœda, erumpit, circumvolutis induratiſque hic & illic ulcerum labiis, exereſcentia; imò hoc ex morbo homines vitam trahere languidam, contabeſcere, continua vexari febre, vigiliis aliiſque quandoque ſymptomatibus lethiferis, ipſa me ſæpius docuit res.

Cutaneum hunc morbum fœminas, non mares; artus, non verò alias infeſtare partes, fabula eſt: in dorſo etenim, pectore aliiſque locis eum detexi multoties; quare autem plus in artuum extremis, quàm aliis partibus inveniatur, crediderim ab eo loci pruritum ſcalpendi radendique prompto facilique acceſſu plus, quàm ab alia cauſa dependere eoque magis; quoniam, ut plurimùm, in iis quibus noverca fortuna victum negat & amictum, reperiatur accedenteque porrò corporis immunditate, ſocordiâ, pediculis &c. cutim infeſtantibus, morbi vis adaugeatur hæcque incommoda morbi quoque cauſa exiſtant; quoque (inquam) quia ejus variæ ſtatui poſſunt cauſæ & originationes; ut ſunt ex: gr: ſudoris tranſpirationiſque impeditio, cutanearum glandularum, vel papillarium corporum mala diſpoſitio; abundans & malè diſpoſitum eorum liquidum, vulnus non ritè conſolidatum, cuticula mole auctior, indurata debitòque tenſilior &c.

Ad ſecund: Arteriam in oculi Phlyctæna ſolummodò, ſive primariò peccare, ſequentibus rationibus, confirmari, confido.

Primò; rubeſcentem, ſine pellicula, hanc expullulationem in tunicam adnatam, corneamve ab vena originem trahere, rationi demonſtrationique eſt contrarium: vena quippe ſanguinem ab membranarum ſuperficie intro vehit; fracta, nullum, niſi eo loci, tum temporis detentum, emittit ſanguinem; ipſius quoque venæ pars non eſt; quoniam pellicula caret & hoc ſenſu, potius varicis extaret ſpecies; inſuper, ſanguis, ſi eſſet, qui expullulat, venoſus, non rubro-floridi, ut ab initio ad finem eſt; ſed fuſci extaret

ret coloris; itidem de momento in momentum non augeretur (sanguis enim in venis non retrograditur) quod in Phlyctæna semper ita obtinet; ut tandem panni, vel & excrescentiæ tuberosæ efformet speciem.

2dò; non esse de lymphaticorum tuberculorum genere, docet ejus materia, originatio &c. & ipsorum vasorum lymphaticorum cum fabrica, usus.

3tiò; ex nervis malè constitutis ortum Phlyctænam ducere, nemo anatomico-chirurgus suspicatus est unquam.

4tò; esse membranarum affectum easque corpore primariò peccare, probatu est impossibile; quoniam, non nisi jam nunc expullulante in ipsas Phlyctæna, patiuntur; quinimò, ab ipsis illam separari, sine laceratione sui corporis elevarique posse atque ab membranis sanguinem non emitti, propriè loquendo, compertum est satis.

5tò; neque oculi glandulis hoc posse imputari vitium, vel ex eo patet; quod loco ab ipsis remoto maximè, oriatur.

6tò; tubulos aquoso-lacrymales corpore non lædi, neque hoc malum membranis injicere, probatione egere non videtur: quod enim emittunt liquidum non sanguis; sed verò limpidus latex est.&c.

Restat igitur (cum omnia illa organa, primariò, in causa non sint) probem, arteriam efficientem causam & esse, quod in hoc morbo peccat organum ejusque vitio postea infestari alias partes: posset enim quoque arteria (ut prædicta organa) extare inculpanda & hoc vitium, hæc Phlyctæna, ab exteriore quodam oculo accedente infortunio, materia &c. ortum ducere; sed, obstantibus phænomenis, non credo hanc difficultatem operosius esse diluendam: extraneum enim nihil, sua valet virtute, membranis oculorum sanguinem (ex quo tamen & solummodò fit oculi Phlyctæna) injicere deque momento in momentum, uti in hoc morbo fit, cumulo augere.

Censeo itaque Phlyctænam (qui morbus apud medicos vulgò oculi, non verò cutis est vitium) esse extremitatis arteriæ dehiscentiam ab sibi opposita venarum radice, cum apertura in membranarum corneæ adnatæque superficie, unde ipso temporis sui fieri puncto,

puncto, subalbida, mox verò, potius simul (nam vix admittitur temporis interstitium) rubra existit manetque; Quare autem liquidissimus iste sanguis de arteria oculoque mox itidem non distilitet defluatque, rogare desines (lect: beniv:) ubi tibi in mentem inciderit; primò; esse ab initio vix visibile illud punctum, inter tunicarum filamenta detineri, frigore externo inspissari moxque concrescere; sed verò, tum temporis, digito carptove posse ex parte abstergi: vividum itidem effusum sanguinem, partibus cohærentem; nullo autem velamine cinctum, mox non defluere, corripi, putrescere, ex sarcomatum, ulcerum hypersarcoticorum multis speciebus demonstratu perquàm est facile. Propullulantes luxuriantesque corpore arterias tumoribus inseri, cum iis plexiformi commisceri ritu cumque ipsis capere, præter ordinem œconomiæ animalis, incrementum ex citatis; sed verò maximè patet nasi polypis.

Oculi Phlyctæna, pro inflammationis initio haberi non potest: in illa enim arteriæ propagatio una, vel multa obstruitur, in hac aperitur.

Ultimò; cum ex interiore membranacearum lamellarum adnatæ, vel corneæ parte, peccans hæc quandoque arteria, sive phlyctæna assurgat, de vario Phlyctænarum colore, multus, sed inutilis sermo est (sequitur enim illa illuminationis omnium corporum regulam) rubet plus, minusve pro collocatione, mole &c. omnibus itaque hisce nominibus differentiisque, quæ ab colore petuntur, supersedeo: priusquam enim arteriolæ supra memoratæ extremitas in oculi anteriorem membranam eruperit, cum apertura, superficiem egeritque (ut supra) Phlyctænam non constituit; inter lamellas verò exteriorum tunicarum oculi non Phlyctænam; sed suæ speciei hypopyonem generari, excitari, docebo data opportunitare, luculenter.

Quæ igitur in membranæ corneæ, vel adnatæ superficie protuberant venæ, varicum sunt species; quæ vesiculæ liquore impletæ limpido, aut ex albo-turbidulo, hydatides, aut lacrymalium vasorum distensiones, quæ exaltationes livescentes unà cum membranarum prædictarum parte, intra eorum lamellas oriuntur, hypo-

pyonum

pyonum initia: ita ut praxi chirurgica hæc conſtent infallibiliter; videlicet, conſpici ſine albeſcente ſua diſpoſitione materia Leucoma, ſine pelluciditate Veſiculam, vel Hydatidem; ſine rubedine Phlyctænam nunquam.

De morbis hiſce eorumque definitione, differentia, ortu, progreſſu, apparitione tantùm.

Utriuſque poſtremò exhibituro curationem, liceat mihi primò deſcriptum morbum (cui alium & ſpecificum inſcribendi titulum, unicuique relinquo poteſtatem: ſufficit enim jam nunc demonſtraviſſe eundem illum, cum ejus nominis oculi morbo, non eſſe) ut Pſeudo-ſcabiem tractitare; in cutaneo autem hoc ſymptomate, ſive ſucci nutritii lymphæque, hoc loco, ſupra modum abundantis, profluvio, gradus ut ſunt; ita plus, minuſve de ſcabiei titulo & eſſentia obtinet: profluvium enim modò quod erat ad cuticulam, ſi continuetur, fractâ cuticulâ, ulcus excitabit; hoc, pruritu & liquorum horum mala diſpoſitione, acredine &c. accedente, ſcabiei requiſita & ſic porrò.

Cutanea Phlyctæna curatur initio: mox enim adeſt dolor, obſervata medicatione; ſi opus ſit, interna diætâque ex malacticorum lenientiumque genere; topicis, anodynis deſiccantibuſque mediis. Ut ſunt: *vinum dilutum, ſolutiones opii, ung: alb: caphur: ung: diaphom: aq: litharg: aq: plantag: cum ſacc: Sarturn: & liq: tart: muſcilag: ſem: Pſyll: portulac: addito* (quo tertio, quartove demum die opus eſt) *flor: croc: cum tepida expreſſorum liquamine* ʒj. *ad* ℥ij. in genere abſtinendum ab emplaſtris largaque unguentorum inſperſione. Si veſiculæ indurentur, pertuſione excipiantur crebra iterataque; acu autem id fiat aurea, vel è chalybe, aut minuſculo ſcalpello idem eſt; ſed parti medicamentis exornatæ, mox injicienda eſt ligatura eaque non laxa.

In ulcus ſi abierit, ulceris methodo tractanda, in qua ſulphurata, mercuriata, nunc mixta, nunc ſeorſim, vel alternis vicibus uſurpata, raro non proſunt.

In ſcabiei ſpecimen converſa, ut hæc ſolet, curetur.

Præſervari ab hoc malo ſi corpora poſſint, fiet illud (diætâ conſtitutâ) multa cutis frictione, ablutione in balneis, ſudoris expulſione, modico exercitio.

In

In oculi Phlyctænæ curatione, paucis exceptis, ut deſiccatione & ligaturâ, quæ tamen alia eſt: aliud enim deſiccari debet liquido-concretum aliterque laxè nempè applicanda ligatura, omnia è contrario fiant opportet.

Primò; mox ab initio abſtinendum ab omni pertuſione: ſaniem enim (ut quidem autumant) non continet; ſed verò compreſsâ, quæ defluit materia, ipſiſſimi laticis ſanguinei eſt.

2dò; ab mediis ſanguinis motum accelerantibus;

3tiò; ab remediis, quæ cum oleis, adipe, axungia &c. miſcentur;

4tò; melle & felle cujuſcunque ſit animalis;

5tò; liquidis collyriis &c. acrioribus, utpote in vicinas partes, etſi penicillo inſpergantur, defluentibus eaſque plus infeſtantibus, quàm ad requiſitam curationem ducentibus.

6tò; de maturatione, ſive ſuppuratione non eſt (lect: beniv:) quod ſomnies: latex quippe hic mox concretus in pus degenerat nunquam, ideo maturantia cataplaſmata, fotus &c. de hoc remediorum cœtu removenda extant: lunæ enim radiis non matureſcit botrys, niſi ubi mula pepererit.

Puſtula (in oculo) Veſicula, Macula, Phlyctæna, quibuſdam eadem res eſt eademque recipit ab ipſis remedia; ſed extra rationis normam: trajicere enim arteriam, pro veſicula, quis non horreat, Phlyctænam arteriarum extremitatem apertam demonſtravi; perperam itaque illa pertunditur acu, perperam itidem Phlyctæna artuum acu non pertunditur: veſica quippe cutanea eſt.

Remedia in curationem adhibenda (emplaſtra enim adhibenda nemo ſtatuit) ſunt; quæ, quantum eſt poſſibile, ſine, aut ſaltem leviſſima cum incruſtatione exſiccant: *gummi arabicum*, *gypſum*,

 ſarco-

sarcocolla, *cerussa*; sed verò omni arte *in pulv: impalpab: redact:* hæc enim propullulationi huic adhærentia, eam exsiccant, deprimunt, cicatrice obducunt. Uti si velis hisce cum quodam liquido, immisceantur *albumini ovorum cum alumine conquassato*: de detersione non moneo; quoniam abstergi minùs, quàm desiccari deprimique debet; inde est, quod ab *vitriolatis* in initio cavendum sit; ubi autem morbi status mutatur, mutantur & remedia; ita Phlyctæna inveterata, malè medicata, extuberans in formam *panni*, aut *sarcomatis* &c. alio modo, quàm recenter nata, excipitur; statuendo tamen, escarotica vix unquam usui venire. Quod si vicinæ partes dolcant ex inveterata, multave mole aucta, Phlyctæna, instituitur ac præscribitur, quæ in inflammatione, partium distentione; excoriatione &c. medicationis formula extus intusque. Phlyctænam hanc, ni ritè consolidetur, facile recidivam pati, exemplo didici & periculo meo; esse junioribus, ut & mero delere curas nimiùm amantibus æstivoque tempore, ut plurimùm, oboriens symptoma sanguinisque iis missionem conducere, pro comperto habeo. Quæ contra hunc morbum in præsidinm vocari posse videntur, observato methodico vitæ regimine, sunt oculorum matutinæ vespertinæque tepidâ ablutiones ab frictione abstinentia, corporis animique quies, quæ inter curandum, uti in omni infortunio, non levioris est adminiculi & solaminis.

EXERCI-

EXERCITATIO ANATOMICO-CHIRURGICA *QUARTA*;

AD TITULUM, DE

EXTRANEIS è VULNERE EXIMENDIS.

RECEPTISSIMIS ex vetuſtiſſimæ pariter pariterque nobiliſſimæ medicinæ titulis, venerati illum; EXIMENDA SUNT è VULNERE EXTRANEA, in hoc uſque momentum, cum omnis ſoleat Medico-chirurgus; multa autem prudentique cum attentione eum obſervandum, opiner; mea ad eum commentaria animadverſioneſque tecum (lect: Beniv:) communicare, frugis duxi alicujus: periculoſum enim eſt, huic titulo, dogmati, legi Chirurgices obtemperare & non obtemperare. Ut hoc meum propoſitum exequar probè, utriuſque exempla proponam varia; ſed verò unum primò; quod nuperrimè mihi accidit tibique pro multis erit & memoriâ non omninò indignum.

Jan Hendriks Minne/ Lugd: Bat: annorum XXXV. nauta epibata, in nave præſidiaria, cui nomen, *Civitas ultrajectenſis* præeratque ſtrenuiſſ: DEKKER, A°. MDCXC. Julii Xmo. recepit in prælio navali, quod ad promontorium *La Hogue*, Gallos inter & Fœderatos accidit, ab exploſione tormenti, in ſiniſtri brachii par-

 tem-

tem ſuperiorem, glandem, prope cubitum leviuſculum, in pectoris ea parte (ſiniſtra, videlicet & laterali) ab diſſilientibus de nave ſchidiis aſſulisque, duo vulnera majora; cum autem una eademque illa exploſione plures vulnerarentur, judicarunt mox Chirurgi & compertum habuerunt, hoſtes tormento non globum ferreum tantummodò; ſed & ſaccum glandulis plumbeis fruſtuliſque abjiciendarum ferrearum rerum impletum (vocant Belgæ ſchroot) intruſiſſe: hic noſter homo, glande, ipſo flagrante certamine, de brachii ſchidiiſque de pectoris vulneribus extractis ſepoſitiſque, poſtridie ad noſocomium, quod in portu, ſive ſtatione vulgò Duyns, in maritimæ gentis commodum exſtructum erat, cum aliiis vulneratis, nave ducitur vectoria: conſolidatis, intra menſem, vulneribus, LONDINUM abit; ſed ab incunabilis NEPTUNO dicatus: viderat enim jam dudum eöas occiduaſque plagas, SCOTIS ſeſe mox militari obſtringit ſacramento. Jactatus æquore toto per aliquot annos, revenit, tandem ad ſuos. A°. MDCXCIX. incipit conqueri de lumborum dolore apparetque circa ilea tumor, qui apertus, ichoroſi puris emittens laticem, inſigni cum inflammatione cutiſque induratione in ulcus convertitur fiſtuloſum, cujus de orificio, nunc hiante, nunc carne luxuriante impleto, aliquando liquidi quid, aliquando vel nihil diſtillitat. Multos expertus; ſed ſine levamine, Medicos, Chirurgos eorumque amurcam, agyrtas aliptaſque, dum incurvari ſibi lumbos, attenuari atrociſſimèque noctes atque dies, cruciari corpus ſentit, impatiens moleſtiarum adit Clariſſ: meum Collegam DEKKERS, qui re explorata, eum mihi adſignat inſpiciendum: noverat enim me, in auditorum meorum Reique publicæ Chirurgices commodum, pauperibus opitulari ſtatutiſque horis artis docere & demonſtrare encheireſin.

Auditâ ex ægro enarratâ ſuperius hiſtoriâ, video inter oſſis ilii marginem lumborumque ultimæ vertebræ proceſſum lateralem, parte corporis ſiniſtra, oblongum, fiſtuloſum, cum luxuriante carne labiiſque lividis, ulcus cutimque, cum albeſcentibus veſiculis, inflammatam maximè; ſentio circumjacentes partes induratas, interius corpus quoddam duriſſimum, os quod ſuſpicor, carie correptum.

Delineatio ferri, supramemorato viro, è Lumborum regione, exempti.



FIG: EXPLIC:

A. Ferri extremitas, ulceris fistulosi orificio proxima, aliquantulùm incurvata et aspera.
B. Extremitas altera.

Ex figura videtur hoc ferrum esse fragmentum machinæ, quam Belgæ vocant: een dubbeld windyzer.

reptum & ab toto divisum. Injicio aperturæ spongiæ, cum cera coctæ interque lamellas ferreas expressæ, penicilla, turundas quantas capiat: procedens hac methodo, in largiorem labiorum ulceris dehiscentiam, corripitur quinto die æger febre, admittens, queribundus de dolore, vix ulteriorum disquisitionem, aut medicationem; invito autem reluctantique fit benè. Per novem dies, multo molimine, non sine ejus moroso murmure (invehitur enim hoc hominum genus facile in Medico-chirurgos) propullulantem de ulcere carnem reprimere annitor; immitto, priùs cerulâ styloque ferreô rimato tentatoque fundo, ulcerosæ cavitati digitum conorque volsellâ, quod jam nunc è fusco atrum in conspectum venit corpus proque osse habeo, ex ea depromere: sed incassum: adhærens namque hic & alibi locorum sanguinisque emittens aliquid, dilato forfice, ad pollicis latitudinem, ulceris circumscriptionem differoque in sequentem diem conamen ulteriùs; quo, undecimo, videlicet, anno, ab in pectore inflicto vulnere, mihi volsellâ majusculâ, non carie infectum os; sed frustum ferri trium pollicum longitudinis uniusque latitudinis, extremitate utraque asperum, de ulcere, non sine adstantium demiratione ægrique acclamatione, eximere datur. Intrudo leniter excavatæ parti indicem exploraturum, intus an quid restitet extranei? verum nihil persentisco; impleo itaque eam, quantum possum & decet, carpto ornoque, per quatuor dies, plagam intus *ol: hypericon: ung: digestiv:* calido, extus *empl: defens: Vigon: ung: alb: caphurat:* conspergo labia *solut: vitriol: cyprin:* consolido (Deo adjutore!) intra 16. dies obducoque eam cicatrice firmissima & proba.

Priusquam ad propositum explicandum me accingam titulum dictionisque lemma; operæpretium reor investigare; Primò; quâ viâ ferrum hoc, pectori huic homini, ab latere, intrusum, illisum, usque in tergorum ima (2dò;) ullo sine dolore (3tiò;) notabili sine cutis eminentia (4tò;) vicinarum sine partium actionumque earum læsione, ad spithamæ & dimidiæ longitudinis, descendere (5tò;) imo loco per decem ferè annos (6tò;) sine symptomate commorari potuerit (7mò;) levi tantum modò ferrugine conspersum?

ſperſum? ad illuſtrandas tollendaſque haſce difficultates quæſtioneſque, reſpondeo;

Prim: ferrum, ab latere, pectori illiſum, muſculum inter latiſſimum dorſi, qui facilè ab communi membranaceo, corporis quarto velamine generaliore dehiſcit, aditum ſibi feciſſe ad dorſi ima: liberrimè enim cum moveri debeat hic muſculus, fibris inſtructus eſt longioribus, multiplicibus atque ab ſeſe invicem diſſitis; quoniam itidem ilea ullo ſine oſſe (reſpectu laterum) proſtant, recedentes partes non pupugit, neque (2dò;) dolorem excitavit, duriſſimos inter maritimoſque labores, cutimve (3tiò;) notabili elevavit eminentia, obſtante quoque imi trunci laxa denſaque plicabilique ipſius cutis mole; adde, ad latera oſſis ſacri ejuſque cum ilei oſſis margine, triangularem conventum & conjunctionem, multum collocari pinguedinis: ferrum itaque (5tò;) diu hoc loco abſconditum, vicinarum partium functiones non læſit ſymptomataque (6tò;) non produxit, uſque dum aſperitate ejus extremitatum circum jacentes partes frictæ, agitatæ, læſæ tandemque ſuccum emittentes ſuum, tumor poſtea & ulcus fuerit productum: quamobrem ferrum (7mò;) levi tantummodò ferrugine; non verò nigredine fuerit conſperſum, demonſtrando perquam eſt facile: ſuccus quippe purus, qui & nutritius alluit circumluitque ferrum, multa ornatum pinguedine, ex ferri metallo, non niſi levem, longâ morâ, contraxit conſperſitque in ferri ſuperficiem, ſubrubram ferruginem, quæ vix contacta abraſaque ferri ſplendorem exhibet conſpiciendam integerrimè; ita ut hic ſuccus, pinguedinis liquidum & ferrum, affecto loco pro balſamo extitere diu: in ferro etenim ego acidi corroſivi nihil, acidum verò temperantis, deſtruentis, ſive, ut mentem meam voce exprimam recepta, alcalini agnoſco multum; rupto autem tumore intuſque, cum medicamentis ei adhibitis, ruente aëre, ſuperior ferri extremitas paululum nigreſcere incepit.

Huc uſque hoc de caſu; de univerſali Medico-chirurgico dogmate tituloque:

EXTRA-

Extranea è vulnere eximenda,

dicturus, quæ ſequuntur notanda obſervandaque videntur:

Primò; an illud ad curationem neceſſarium ſit ſemper?

Secundò; mox, an poſt aliquod temporis intervallum?

Tertiò; quibus mediis, inſtrumentis &c.?

Quartò; fieri id ſi nequeat abſolutè, quid, ſecundum artem, tali in caſu, viro Medico-chirurgo, ſalva ut, ſarta tectaque cum arte ipſius ſit fama, præſtandum extet?

Regero *ad primam quæſtionem:* imoverò; conſtans oportet hæc lex ſit æternùm: ni enim extranea, ſecundum artem, è vulneribus eximantur; omnis & quæcunque vulneris agglutinatio, conſolidatio, curatio, non niſi palliativa (quod ajunt) renuntianda eſt; poſſe autem, multa ſine moleſtia, extranea in corpore, conſolidatis extus; imò & intus vulneribus, ad vitæ finem geſtari, latere, exemplis confirmatum habemus innumeris; ſed heus! *lector benivole*, intellige extranea per ſe partes non lædentia & cavitatibus, puta pectori, axillis &c. lociſque laxè cohærentibus minuſque movendis, immiſſa. Hoc quod in Nobiliſſ: cohortis equitum vexillifero Heemskerk, glandem plumbeam in pectoris cavitate; Joanne Göltz, ductore ordinum, enſis mucronem in inguine geſtitante variiſque ex aliorum obſervationibus, compertum habui dudùm.

Vigeat hæc oportet lex; *extranea è vulnere eximenda*; verum exerceatur decet (reſpondeo *ad ſecundam*) *aliquando mox*, *aliquando poſt temporis intervallum:* mox; ſi extranea commodè arripi & ab partibus corporis liberari poſſint, retrocedere videantur, dolores excitent ingentes, hæmorrhagia non ſit magna &c.

Poſt temporis intervallum; ſi contraria hiſce eveniant, aut fluxus

ſanguinis

ſanguinis ſit ingentior; vulnus dilatari debeat, aut inſtrumenta (quod eheu! quàm ſæpè accidat, ego novi) in promptu non ſint. Primum hujus articuli propoſitum comprobavit JOHANNES LENIER, Nobilis, tertii ordinis dux exercitus Anglicani; hic concuſſione acierum prima, prope *Steenkerken*, glandem inter quartam quintamque recipit coſtam; ſed verò membranam pleuram non perforantem; tertio quod die, regio ex mandato, inſpiciens vulnus, ſpecillo digitoque (BRUXELLAS enim jam devectus erat) habui exploratum: hærentem mox conſtrictumque inter coſtarum margines glandem eximendam pronuntio, urgeo, jubeo; ſed fruſtra, negante id Chirurgo atque affirmante, non glandem, verum coſtæ fragmentum ſentiri glandemque reſiluiſſe, non verò latitare in vulnere. Habetur homini fides! debilitatur interea, de hora in horam, æger, aggraveſcentibus ſymptomatibus, dolore, difficultate reſpirandi, ſiti, vigiliis non abſque deliriis, febre, liveſcentibus, cum vulnere, labiis facieque tota; poſtero die accedo cum Regis Chirurgo iterum videoque convulſionibus agitari corpus, expeto inſpectionem vulneris; verum ni abiiſſem, malè me excepiſſet inverecundus dibaphus.

Paucis; æger non dulce; ſed decorum belli colligens fructum, pro patria, ut imperatorem decet, moritur.

Perluſtrari jubet Sereniſſ: Rex cadaver; eluceſcat ut rei veritas; ad actum autem priuſquam accedo; ecce, juvenis, defuncto heröi ab cubiculo, in fœtenti & ſphacelo correpto ulcere, nigredine conſperſam digito demonſtrat glandem; videlicet, remiſſis jam nunc contractis quondam convulſionibus coſtis, glans exterius prominebat. Accerſo Chirurgum, ipſe ut inſcitiæ; ne quid pejus dixerim, in ſe conſtituat, cum infamia, pœnam. Agit rem, agnoſcit culpam brevique munere privatus, caſtra relinquit, abit, fugit. en (lect: beniv:) neglectæ legis, EXTRANEA è VULNERE EXIMENDA, lugendum exemplum: ſi enim glans mox, commodè quod potuit, è vulnere fuiſſet exemta, viveret homo, aut certè lethum ſine crimine haberet.

F Priuſquam

Priusquam secundum hujus articuli propositum, experientiâ confirmem; *post temporis*, nempè, *intervallum opportere aliquando extranea è vulnere eximere:* noverit studiosus & tyro Chirurgus: pessimo ausu multos Chirurgos (potius lippos alterius cuti non timentes) vulnera quasi explorare, nunc digitum, nunc ferrum iis ruditer & vi injiciendo, illa aperiundo, &c. cum è contrario exquisitè inspici leniterque tractari, quæcunque quoque loco sint, in initio debeant; ne hæmorrhagia, dolor &c. excitentur: si quis autem tales objurgaverit, iis obstiterit eorumque impediverit carnificium, in promptu proverbium est. Zachte meesters maaken stinkende wonden: quasi verò inscitia & crudelitas Chirurgiæ fideles extarent comites & delicatula, non itidem audax & prudens posset esse manus: hoc enim, quo vivimus seculo, ægri omnes non sunt *urendi*, *secandi*.

Cadens in terram vir mercator Amstelædamensis, adultæ ætatis robustissimique corporis & in pollicis musculum abductorem vulnus recipiens minusculum, me Chirurgum secundo die appellat, queritans intolerando de dolore; sanguinis autem parum cum emittat nihilque extranei cereâ, neque stylo ferro sentiam, *balsamo peruviano* calescente exorno vulnus totamque *empl: defens: Vigon:* manum: post aliquot horas vocor iterum, cerno hominem tremebundum, dolore percitum ad ravim; pollice tumente horrenter; tendinem læsum non dubito. Inspicio exquisitè vulnus denuò. Exploro cerulâ interiora, experior durum quid intus lâtitare, quod depressis labiis, vitri frustulum videtur & esse, auriculari digito sentio tandemque video: ceciderat enim (ut postea ipso ex loco, multis vitri fragmentis consperso, patuit) in vitri frustula: arripio statim volsellulâ extraneum, legi Chirurgicæ satisfacturus; sed dum id molior, deficit homo robustissimus animo; gelido autem refectus latice, repeto ego conatum, ille animi defectum idque toties, quoties vitrum tango eaque vi; ut convulsionibus agitatus planè cadat in terram. Scalpellum producens, vulnus ampliaturus, uxor ejus & qui porrò advolarant amici, hoc impediunt tentamen inque sequèntem diem differi jubent. Injicio manui *cataplasma* sequens;

℞. *fol.*

℞. fol. bismalv. m. ij. *violar. m.* j. *sambuc. m.* ʃ *. incid. coq. in lacte dulci; exprim. contund. adde mic. pan. alb. q. s. pro cataplas. & sub. fin. vitell. ovi n°.* 1. *croc. Britt.* ℈ ʃ.

febre jam nunc correpto sitibundoque, præscribo *amygdalatum tenue.* Postero diem ulto manè accedens, quod fore prædixeram, experior, dolore, nempè, virum torqueri miserrimè; imò, præ anxietate, sudore madere frigido.

Nec jam vulneris dilatationem, neque vitri extractionem concedentibus amicis, cogor peragenda procrastinare, usque dum ab digitorum extremis in brachium, cum tumore, inflammatio gangrænam minatur; tertio itaque die, ampliato vulnere, extraho de illo frustulum vitri, adjunctæ figuræ: in vitri frustulo animadverti velim, primò; apicem superiorem potuisse sentiri; angulum verò eminentiamve ad latus non, quæ ut & basis ipsa, in causa fuit, quo minus extrahi potuerit, luxuriante & circumeunte mox vitrum carne spuria. Sedatur dolor & curatur brevì vulnus, non tamen sine actionis musculi læsione;



Sed, ubi mihi sermo de differenda procrastinandaque, secundùm artem & ob causas supra memoratas, extraneorum exemtione est, intelligi velim, me hæc docere, non impedientibus id amicis, &c. sed ipsa re. Ita in conflictu *Landaviensi*, fracti hastilis festuca, auricularis digiti longitudinis, straminis latitudinis, apice acuto, oculo pedestri sclopetario intrusa, secundum artem mox, neque & diu postea, eximi potuit: hærebat namque imæ infixa, per adnatam, scleroideæ, cum totius interioris oculi supellectilis destructione, retractâ dolores excitans insensissimos; abscissam itaque ad tunicæ vulnerisque limbum, eam gestitavit, donec tandem, multo cum pure, præruptis membranis, expelleretur eximereturque.

Ad tertiam quæstionem; quibus exemtio fieri debeat mediis, instrumentis &c. cautè &, pro viribus meis, appositè mentem detecturus

rus meam; duo in antecessum monenda habeo: *Primum*; bella hodierno tempore aliis cum gerantur modis, armis, inventionibus, machinis &c, de extrahendis extraneis, puta glandibus ferreis, plumbeis læsionibusque ab in corpora intrusis, ope pulveris nitrati, lapillis, festucis, vestibus, arena &c. aliam nunc, quàm olim esse rationem agendique normam; quæ verò nunc, ut quondam, corpori casu & infortunio intruduntur extranea, nunc, ut olim esse excipienda atque eximenda. *Secundum*; me omnem *de vi urgente attractiva medicamentorum* fabulam omnemque spernere & ridere incantationem (magiam dicunt, vel exorcismum) quibus creditur extranea posse de vulneribus eximi: exulent itaque ex Republica Medico-chirurgica, hoc respectu, *adeps talpæ*, *pinguedo leporina*, sola sive in usum vocitetur, sive cum *dictamno*, *ranis combustis*, *mumia crurum*, *magnete*, vel aliis misceatur medicamentis. Respuat incantationum ludibria faciatque ista Fabulino Lalloque sacra, cui sana, vel in corpore ægrotante, frui contingat mente: nam

Stultum consilium non modò effectu caret;
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

absit autem hoc dixerim de Chirurgis: atro enim hoc carbone castrensium, præprimis, lixabundam agyrtarum fæcem denotatam volo: multos enim hac eorum nequitia abeuntes illuc quo priores abierunt, dolui eoque magis hæc moneo, quoniam amurca hæc circumforaneorum, apud castrensium caupones in pretio, postquam aliquandiu sanguisuga, miserorum militum sudore & sanguine victitavit, non rarò doctis peritisque præfertur Medico-chirurgis inque tentoria papilionesque repit præfectorum ducumque, lautè ab iis excipitur, *verbosis acquirentes sibi famam strophis*, usque dum creduli ægri, pessimo ex eventu, didicerint, *caput sese non dubitavisse credere hominibus, quibus notis, ne calceandos quidem commisissent pedes.*

Exemtio extraneorum fit mediis, vel instrumentis:

Sub-

Sub voce (*mediis*) intelligo comprehendoque omne illud, quod contribuit facitque aliquid (præter instrumenta ad ipsam exemtionem necessaria) ad exemptionem ritè celebrandam: si enim cum pure, sanguine, ichore, &c. extranea de vulneribus ulceribusque rejiciantur, eximi ex iis non dicuntur: media itaque hæc erunt, vulnerum amplificationes, dilatationes, quæ spongiis in cera coctis, medullâ sambuci exsiccatâ, penicillis, turundis &c. vel secando, scindendo, vel labia expandendo, deprimendo, &c. vel partis vulneri oppositæ pertusione, quod in extraneis eximendis, harpagonibus munitis, frequens est artificium, fiunt instituunturque.

Instrumenta quibus extranea de vulneribus eximenda veniunt, sunt *communia aliis* quoque operationibus notaque satis ex: gr: syphon, styli gummi, vel cerâ obliniti, vectes, volsellæ, forfices, forcipes, rostra corvina, gruina, hamuli, terebræ mares, fœminæ, vel delitescentes, aut sunt aliis operationibus *non communia* &, pro re peragenda, excogitanda, fabricanda: hinc statuo Mechanicam ab Chirurgica inseparabilem; manum autem omnium arreptioni aptorum instrumentorum osque syphonum esse typum & exemplum.

Ipsa de dilatatione, præsertim quæ incidendo fit, multa habeo monenda; *paucis etenim temeritas est bono, multis malo*;

Primò; quantum res ferat, parcatur vasorum sanguiferorum nervorumque ramis majoribus; ut & ligamentis tendinibusque; usus ut servetur partium symptomataque vitentur graviora.

2dò; fiat secundùm ductum ordinemque fibrarum (cutim enim hac in re non multum moror) musculorum, sola quod docet Anatomica.

3tiò; sit liberior potius, quàm parcior: parvæ quippe dilatationes, utplurimùm, majoribus, prudenter institutis, effectu minores, curatu difficiliores comperiuntur.

4tò; quod si extraneum, instituta dilatatione, eximi nequeat, ex: gr: si glans dentibus, priusquam sclopeto injiceretur, aspera facta, partibus firmiter inhærescat, &c. vulnus carpto, vel spongiâ impleatur injicianturque ei

5tò; ligaturæ, pulvilli, lichinia laxè; ne, nempè, extraneum, eximi quod debet, deprimatur.

6tò; repetere non licet incisionis actum; nisi sanguinis represso fluxu (si adfuerit major) & phænomenis, ob quæ instituta prima hæc fuit operatio, permanentibus.

Ipsa de methodo eximendi extranea de vulneribus, in genere, hæc dixerim tyronesque docuerim.

Primò; sint instrumenta ad normam fabricata, in antecessum experta, omnia, quæ vel forsitan usui venire, possent, simul ad manum.

2dò; arripiatur extraneum eximendum firmiter.

3tiò; moveatur in omnem partem, priusquam extrahatur.

4tò; extrahatur lentè, adhibitis ad plagæ orificium & locum extraneum continentem manus non trahentis, digitis; ut quid intus agatur, percipiatur proque re nata conamen exemtionis in hanc, aut illam partem, cum instrumento & eximendo extraneo, flectatur.

Ad hoc autem thema hancque ad doctrinam confido facere maximè, ultimam hanc etiam monitionem; eam esse videlicet, in extrahendis eximendisque ossium fragmentis ab extraneis, differentiam; ut, quod in uno vitandum, in altero casu observandum existat strictè. id est, si periostio, perichondriove duntaxat paululum adhæreat; ne moveri quidem ossis cartilaginisve debeat fragmentum; si verò periostio, perichondriove extraneum aliquid adhæreat;

reat, omni eſſe ſtudio & arte, removendum: oſſium enim fragmenta non rarò & facilè; extranea verò partibus, in totius uſum, nunquam applicantur cumque iis uniuntur.

Ad quartam diluendam quæſtionem:

Exemtio fieri ſi nequeat abſolutè, quid ſecundum artem, tali in caſu, viro Medico-chirurgo, ſalva ut, ſarta tectaque cum arte ipſius ſit fama, præſtandum extet.

Unum ſufficit reſponſum; de impoſſibilibus vana eſt diſputatio: *Interdum*, enim, *docta plus valet arte malum*; Simili autem in caſu ego famigeratiſſimos cogo in conſilium viros Medico-chirurgos: plus enim vident oculi, quam oculus; ſi artis antiſtites mecum judicarint confirmarintque exemtionis extranei, ſecundum artem, nullam affulgere ſpem, curo primò, ulceris luxurians caro quotidie deprimatur, ichor & quod fluit, aut ulceri inhæret, de ulcere liquidum deponatur, pars cui extraneum inhæret, ab dolore liberetur, faſciâ muniatur; quod ſi viderim tractu temporis ipſum conſolidari ulcus, vel ejus deſiccari ſuperficiem, obſervo, an poſtea partes circumjacentes, tumeſcant, inflammentur, vel non; ſi *primum*, injicio iis *emplaſtra*, *fotus*, *cataplaſmata*, vocant *maturantia* &c. ut rumpantur, vi laticis æſtuantis interius extraneaque propellantur foras; ſi *ſecundum*, confirmo cicatricem *deſiccantibus emplaſtris*, *plumbeâ lamellâ pulvilliſque ligaturiſque*; non negligo autem quandoque ægros interrogare, an, præter pondus injecti extranei, partes amiſſum experiantur naturalem motum tractoque ſæpius partes oppoſitas, experiundi gratiâ, anne huc, aut illuc extraneum deſcendat exitumque quærat? quod ſi ægrum languidam obſervem trahere vitam, proſpicio intus œconomiæ animalis inſerviatur medicamentis, præſcribendis pro parte prius affecta. id eſt, cum vulnere extraneo pectori, abdomini, lumbis &c. illiſo, quæcunque horum viſceribus læſis in genere & ſpecie, ſive per contactum, ſive ſymptomaticè patiantur, in ſolamen adhiberi debent, adhibeo indeſinenter: moneo tandem ægrum nequis

quis vagabundus alyptes, me sine conscio, aliquid experiatur, moliatur, tentet; sed si novum oboriatur phænomenon, intumescentia, inflammatio, febris &c.; me ejus mox faciat conscium. Hac methodo, functus officio munereque meo prudenter, sperno facioque flocci omnem malevolorum sciolorumque strepitum & calumnias.

Cum porrò nuper ab me vir Medico-chirurgus quæsiverit; *an liceat corpori partes, è quibus extranea eximi non possunt, in totius conservationem, adimere?* æquissimum duxi, hisce adjicere quid ei responderim. Post alia: *quid ni? quæ enim agitatur quæstio, de decurtandis, exstirpandis, amputandis, artubus, cruribus, brachiis, vel aliis corporis partibus exterioribus est; sed quid ni ego tecum apertius? si locus conjecturæ sit, credo te de exstirpanda quadam manu, grandinibus plumbeis pessimè excepta, sollicitum; age, effare; sin minùs & celari hominis posse crimen forsitan autumes, tace; ego interea dicam, quod res est; Si (quod ex curiosis tantùm hausi) grandines carpum metacarpumque lacerarint insolubiliterque eum in modum cartilaginibus, tendidinibus ossibusque inhæreant; eximi ut de iis non possint, dolor ægrum continuò infestet, cum fœtore digitorum ima nigrescere brachiumque inferius intumescere incipiant; quid moraris hominem servare, quem; si inutilem studueris servare manum, perdideris certò; Tempori itaque rem, moneo, ne committas: nosti ob hæmorrhagiam non sistendam, læsâ, extractione rudi glandis minoris, carpi arteriâ, manum compressulis, ligaturis, causticis, dilatationibus, incisionibns &c. cruciatam, donec in eam rueret sphacelus, viro militi in nasocomio castrensi* BRUXELLENSI: *ob deformitatem, pollicem pedis* HAGÆ COMITUM, *hortulani famulo Nobiliss: quondam magni syndici*, C. FAGEL: *ob festucam, ex unguis dextri indicis regione non eruendam, hunc ab me, secundum artis regulas meritòque esse, ut mox memoratas partes, corpori ademptum. Quæ te monet ratio, quominus hoc in casu, idem hoc non audeas? quæ tibi eximendi grandines cum nitrato pulvere (si forsitan inde omne malum) conservandique manum blanditur spes! &c. &c.*

Vides

Vides (lect: beniv:) quid simili in casu præstitum volo, urgeo.

De vulnerum, ulcerumve, hoc respectu, curatione, omnium Medicationum fine, quædam commemorare, æquum nemo non judicet. Exemptis extraneis, convenire videntur detergentia, puta *ung:* quod Chirurgi *mixtum* vocant, videlicet, *ung: basil:* ℥j. *&* *Præcipit: Rubr:* ʒj. & similia; verum; ut cogitata mea aperiam candidè: *utilius, enim, homini nihil est, quàm rectè loqui*, omnis medicamentorum supellex, *extraneis exemtis*, brevi momento ferè nullius pretii est: intus etenim omnia, balsamico succi nutritii accedente coagulo, in pristinum reducuntur œconomiæ statum; ut demonstravi superius: quæ res, post ossium fragmenta exempta, aliter sese quandoque habet: restitat enim persæpè ulcus cavernosum, hypersarcoticum, vel fistula curatu difficillima; exemptis verò extraneis, osse non læso, cavitates, margines oraque solutionis, mox contrahuntur, uniuntur eumque cicatrice obducuntur in modum; ut de exsiccando ulcere, vel consuendis ejus labiis similibusque artificiis, nemo peritus Medico-chirurgus fiet sollicitus.

Hæc *de Extraneis è vulnere eximendis*; de extraneis autem, mala fide, vulneribus intrusis, hisce subjicere volui exemplum; ut juniores Medici Chirurgique, moniti, discant sibi cavere molestumque non ducere, manus partibus affectis adhibere auxiliatrices; ne decepti, impostoribus populoque ludibrio sint risuique postea.

Vir, spectatissimo J. S. quondam urbi AMSTELÆDAMI consuli, artium studiorumque ac antiquitatum fautori, ab negotiis, in suræ medio tumorem cum dolore animadvertens, Chirurgum advocat, hic eum pertundit; qui pure, intra paucos dies, exhausto, in ulcus convertitur, multo quod hebdomadum intervallo non consolidatur. Doctiss: Consul, indole cautus, dixerim, an suspiciosus, alium accersere jubet Chirurgum, P. A. V. qui ulcere perlustrato, ipso in unguento, pulvillo inssperso, Nob: Consuli ægroque frustulum vitri demonstrat ullaque sine mutatione, ulceri eundem apparatum injicit. Vocatur alter (liceat mihi lect. beniv:

nomen;

nomen: fatis enim cessit homo; non verò facinus tacere) accedit, solvit apparatum, quem præstigiatoris adinstar tollit, removet; sed Argus alter mox emplastrum desiderat, expetit tandemque eo potitur exhibetque expallescenti homini vitri frustulum accusatque eum improbitatis; ille autem factum negat criminaturque pharmocopœum, quasi ille vitri pulverem mercurio præcipitato admiscuisset; multis porrò inventuque facilibus usus effugiis, è consilio nocens & quâvis pœnâ dignus, omnem tamen evasit pœnam improbus ægerque brevi extitit curatus. Rectè de talibus sagax ille mythologus PHÆDRUS;

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia, dum requirit, exitium invenit;

verum ab prudentibus flagrante in scelere ubi deprehenduntur; quadrat in eos, ejusdem liberti dictum;

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam & deridentur turpiter.

hoc exemplo, cum prædicto auctore, aliud nihil quæro, quàm corrigetur error; ut mortalium acuatque se diligens Medico-chirurgorum industria.

EXERCI-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM QUINTA; DE AMULETIS.

LECTURO S.

Facturus verba De Amuletis; de re & ritu in sacris & profanis, ab omni hominum memoria, recepto monumentisque prodito multiplicibus; ab viris ingenio præstantibus atque eruditione claris, honorificè & sæpenumero citandis, non semel agitato; multis nominibus intricato, inexplicabili dixerim, an imperceptibili; ipse cum Deus, Angeli eorumque Ordines, Deastri, Diabolus, Dæmones, Spiritus, Astra, Portenta, Mysteria, Miracula, Ænigmata &c. ad amuletorum comprobandos effectus, in scenam produci soleant: hac de re, inquam, verba facturus & non publici saporis: vulgus enim hominum superstitiones adamat sectaturque, impossibile videtur; ut in multorum non incurram reprehensionem eòque magis; quoniam decantata repetere, non enodanda solvere & quasi supra excellentissimos viros velle sapere ipsis videbor; antiquorum Veterumque præterea in transitu, è consilio verò nostri temporis in Rempublicam-Medicam errores, præjudicia, superstitiones & cum sceleribus imperitiam, stul-

titiam, verbo, idololatriam perstringere non vereor ultraque vulgum sapere studeo; ad tres autem priores harum insimulationum articulos, regero; absit, ut mihi, tenuitatis curtæque eruditionis meæ perconscio, nova, inaudita virisque sagacioribus incognita, aut explicatu difficilia, in publicum protrudendi imperitent præsumptio, arrogantia, superbia; de quarta & ultima verùm consideratione, meticulosis, quæ forsan possent remoram injicere, confiteor me, totis anniti viribus, ultra profanum ac indocile sapere vulgum nugasque erroresque facinoraque hominum fuisse silentio suppressurum; nisi, pro viribus, quoque illa corrigere melioraque docere in animo habuissem; quia autem mihi aquam pistillo tundere ac veluti cum ratione insanire videntur, ineptam qui student ab præjudiciis liberare, mores ejus emollire tandemque erudire plebem; de re tamen, urgente munere & officio meo, utili planè, sermones serere, negligere nolui; sed ne eodem ego claudicem pede, velim (LECT: BENIV:) hasce qualescunque lineolas, non in gratiam vulgi, cujus favorem non aveo, furorem non paveo, exaratas credas; non sanè, ita me boni ament! verùm illas Medicinæ, Auditoribus meis studiosis ipsique Veritati sacras & inscriptas, agnoscas. Si insuper (teste enim FLACCO optimus ille est, qui minimis urgetur vitiis) ego ab præjudicii superstitionisque pessimo vitio fatuorumque quorundam, respectu artis Medices, dogmatum sarcina, ingenuos liberare tyrones ipsaque in veritate, jam nunc concepta, doctos confirmare studeo viros, non videbor, sana utentibus mente, munere, aut tempore abuti meo. Impellor, adstringor ad hanc exornandam dictionis materiam maximè: experior namque animi imbecillitates & præjudicia ab quibusdam foveri nobilissimæque perceptionis lumina & rudi-

menta

menta obfuscari, destrui; quinimò scelera, seculo hocce gravi, quo premimur, eum crescere, regnare Reiquepublicæ Medicæ insultare, in modum; ut; nisi qui salvam eam velint, quantocyus mecum ei opitulaturi accurrant, eos mecum eam sublatam postea; sed frustra quæsituros affirmaverim facilè: ipso etenim, quo hæc conscribo, momento, fida instruor relatione, hominem hac in urbe, methodo, sympatheticis erronibus adhucdum non usitata, Medicinam facere; videlicet, ægros in antecessum adstringere, promittant, interposito jurejurando, sese, quæ ab ipso peraguntur, nulli mortalium revelaturos unquam; deinde medicamenti ipsis præbere nihil; instrumentis vero ægritudines omnes curandas statuere specimenque (ipse ut ait) dedisse luculentum; sed de isto, aut huic similibus Medicinæ maculis, plura inferius.

Si itaque virtutis sit, domare, quæ cuncti pavent; ego virtutem experiar meam monstraque præjudicium, superstitionem & imposturam, Medicam fœdantia, lacerantia, pessundantia domare, saltem refrænare conabor: non enim ego ferreus adeo & omnia æqua ferens mente sum; ut sinam lues hasce impunè in auditorum meorum ruere animos; si verò eas ex Republica Medica, in totum profligare nequeam; potero tamen eas ab doctrinæ meæ limitibus arcere semper; verumenimvero, quoniam medicationis curationisque genera & methodi varia & plura describuntur exercitationisque hujus formula lectori mox oportet innotescat dilucidè, dicam, quo ordine eam conceperim pertractandam:

Prælibatâ primò; brevissimè, antiquorum amuletorum historiâ exhibitisque eorum paucis exemplis, agam

2dò; DE CURATIONE MORBORUM DIVINA, SACRA, MYSTICA;

3tiò; ----- SACRILEGA, PERFIDA, SUBDOLA, FRAUDULENTA, PHANTASTICA, NUGATORIA, TEMERARIA;

4tò; ----- PER IMAGINATIONEM ANIMIQUE PATHEMATA, ARTE, AUT CASU, INCITATA;

5tò; ----- EMPYRICA, RESPECTU AMULETORUM;

6tò; ----- RATIONALI; QUA OPORTUNITATE PERSPICUÈ DEMONSTRABO, DARI CURATIONEM RATIONALEM, SIVE (QUOD AJUNT) à PRIORI COLLIGENDAM.

Cum autem hoc exercitii genus hæque dissertationes præsertim studiosos atque Tyrones Medico-chirurgos spectant eosque multa jam nunc legisse, intellexisse compertaque habuisse, non sit supponendum semper; omnia non per synopsin, qua pessima instructionis methodo ab lectura bonorum auctorum divertuntur; sed â capite ad calcem & simplicissimê quædam tractitabo: exercitatio itaque hæc Chirurgica est; quatenus de remediis, manu corpori malè disposito extus adhibendis, agit; ANATOMICA; quàtenus eorum multa examini subjiciuntur Anatomico; puta partes humani corporis animaliaque in medicamenti & amuleti formam redacta, parata; MEDICA (strictè loquendo) quatenns de remediis, corpori malè disposito, intus adhibendis quoque in ea sermo habetur; PHYSICA; quatenus in ea medicamentorum, corpori malè disposito manu extus admotorum, vis, virtus, effectus, potestasve in illud corpus agendi, rationis trutinæ appenduntur. De hisce (LECT. BENIV.) te instructum, specificas ob rationes, volui. Faxit Deus! ut, quem mihi proposui, attingam scopum.

ARTIC.

ARTIC: PRIM:

Περίαπτα, περιάμματα, ἀποτρόπαια Græcis AMOLETA, AMULETA, PRÆBIA, Romanis, nuncupabantur omnia, quæ geſtata, malam ſortem amolire, benignam conciliare credebantur: etſi autem collo præprimis; aliis tamen quoque corporis partibus appenſa, veſtibus adſuta, arboribus ædificiorumque partibus affixa; imo & in propatulo expoſita tandemque huic & illi terræ loco mandata, memoriæ proditum habemus luculenter.

Irruente de tempore in tempus in mortalium animos ſuperſtitione, credulitate metuque, eo uſque tandem hujus commenti vis accrevit; ut contra ſingulos infortunii caſus, ſingulos morbos; imò metum, terrorem anxietateſque atque pro omnibus, quæ ſperare audebant, ſingularia amuleta excogitare, formare, non deſierint illaque ex varia materia (licet in ſuperſtitionis infantia ex gemmis præſertim fabricata videantur) metallis, lapidibus, viventium partibus, lignis &c. inſculpentes injicienteſque iis imagines, figures, (Taliſmanicas vocant) literas charactereſque; eò quoq: uſque; ut ipſis corporis ornamentis, ligaturis, nodulis, chartulis multiſque quiſquiliis, eundem in finem adhibitis, verba nunc intelligibilia, nnnc verò nihil ſignificantia, inſcriberent.

Sive itaque amuletorum inventum ÆGYPTIIS: *nectere enim ſtupendas machinas Ægyptios*, in proverbium abiit, ſive CHALDÆIS, GRÆCIS, aut aliis nationibus; GNOSTICIS, BASILIDIANIS eorumque poſteris debeamus, ſufficit demonſtrare mentis obfuſcationem, errorem, ſuperſtitionem, hanc Deo ſapientibuſque hominibus inviſam & odioſam, ex metu & inſcitia ortam, noſtra quoque ætate inter Chriſtianos non eſſe abolitam: credebant enim Antiqui, credunt & Hodierni quidam, amuletorum, ut ſupra diſcriptorum (de medicamentis autem in amuleti formam uſurpandis poſtea) quædam Deaſtrorum eorumque ordini, Dæmonum, Syderum, Veneficorum; quædam verò (taceo D. O. M. quis enim mentis compos unquam ei, ex quo omnia ſunt, in omnia poteſtatem non tribuit; verum prædictæ idololatriæ nugiſque præeſſe ſtatuit ſine crimine) Angelorum, Geniorum, Animarum, Sanctorumque

que

que hominum imperio & poteſtati ſubjecta atque, hoc modo, amuleta quædam non ſine peccato; quædam verò in pium ſalutaremque corpori uſum poſſe; quinimò & debere, ſumma cum veneratione, geſtitari.

In conficiendis, fabricandis ornandiſque amuletis, tum Antiquorum cum Hodiernorum ſeculorum, de malo in pejus deque levi ſuperſtitione in turpem idololatriam cecidiſſe homines, vel ex eo quoque patet, quod primigeniæ ſimplicitatis inſcitiæque temporibus rudes, ad hoc, vel illud religionis ſpecimen, ad hunc, vel illum idolorum cultum facile ductiles, primò, Deaſtrorum, Deaſtrarum fictorumque ſemideorum, poſtea Imperatorum, Regum, Heröum; deinde beſtiarum, belluarum, monſtrorum, reptilium, inſectorum imagines & tandem dictu demonſtratuque turpium, obſcœnorum (furente dolo, fraude, laſciviâ, nequitiâ) ridiculorum, non intelligibilium, pudendorum, nefandorum execrandorumque amuletis injicerent, cum inſcriptionibus, ſimulacra atque delineationes; quum autem nulla adverſa, neque proſpera excogitanda exiſtat ſors, fortuna, valetudo, in quam & contra quam, in Rei antiquariæ cultorum ſcriniis, gazophylaciis ſcriptiſve, hujuſmodi non reperiantur amuleta; ſpecificè iſthæc omnia proponenda non autumavi: ex iis propterea, quæ mecum liberaliter communicare, non ſunt dedignati & ſi plura voluiſſem, dare non denegaſſent, de Re antiquaria optimè meriti doctiſſ. J: SMETIUS, J: DE WILDE aliique, pauca, brevi huic diſſertatiunculæ, æri inciſa, inſerui exempla gratulabundus, ex quorum examine & perluſtratione, dicta quæ ſunt ſuperius dicendaque inferius reſtitant, confirmabuntur abundè ſuaſque obtinebunt, pro re nata, animadverſiones.

HERCULIS leonem ſuffocantis imaginem, amuleti in modum adhibitum, docent (vide tab: I. fig. I.) nummus hic æneus auctoreſque varii. ALEX: TRALLIANUS, qui ſub imperatoribus ARCADIO & HONORIO claruit interque principes medicos Græcos non infimum locum habet, poſt multa, ex omni medicamentorum ordine, contra Colicum morbum, præſcripta remedia, ait, pag: mihi (JOANNE QUINTERIO interprete)

296.


AVR.
AES.
AES.
ARGENT.
ΛΑΖΟΝ
ΜΕΕΠΟΥΘ
ΟΧΑΜΙΙΗΗ
ΙΗΙΗΙΙΙΙΑΗ
ΑΗΑΗ

296. Herculem *erectum suffocantem leonem in lapidem medicum insculpito ac inclusum in annulum aureum, gestandum dato.* Huic addit multa porrò amuleta contra eundum morbum. Constantinus Cæsar, L: ii. hanc, imaginem, ad herbam disperdendam leguminibus infestam, pingi in testis solere, auctor est: Herculis nomen affectavisse, assumpsisse Deumque hunc credi voluisse, Reges, Imperatores Alexandrum, qui suum filium Herculis quoque nomine ornavit. Vide Justin: L: 15. c. 2. Commodum, Domitianum, cæterùm pro Diis, divinos petiisse, arrogatis sibi eorum nominibus, honores, cultus &c. membranis est divulgatum abundanter. Vide Nonnium comment. in Goltzii Græc: ad Tab: 30. 21. 32. 33. &. Gellium L: xiii. c: iv. si cui porrò de tabulis votivis inscriptionibusque, in signum grati animi, pro accepto ab Hercule beneficio, multa legere lubet, videat M. Z. Boxhornium Quæst: Roman: prim: Jac: Phil: Tomasinum Cap: xix. xxi. xxiii. & xxiv. cum autem plures & secundum Arnobium, sex, divino exceptos honore, Hercules videamus; hoc de idolo, ubique apud Mythologos, poëtas, hieroglyphicorum & nummismatum explanatores, legendi larga est messis & copia; multa de illo congesserunt N. Comes L: 7. c: i. H. Alexander Junior, sub explicatione *Tabulæ heliacæ.* Mich: angl: Causeus de la Chausse, in enodatione quorundam idolorum. Pier: Valerianus *de sacr: Ægypt:* velim autem hi hisceque similes posteriorum seculorum auctores, nobis pro elencho sint nosque solummodò ad auctores antiquos ducant:

Dulcius, enim, *ex ipso fonte bibuntur aquæ*;

Antiquos autem gentiles Herculem (cui, ut ait Seneca, Junonis jussa exequi, minor erat labor, quàm novercæ jubere) fortem, musicum, medicum, astrologum, cultu prosecutos sacro eumque appellavisse defensorem, conservatorem, debellatorem, victorem, invictum, pollentem,

PACIFERUM, DEUM-FIDIUM, SANCTUM &c. mirari mediusfidius minus ſubit, quàm ex Doctiſſ: Chriſtianis G: I: VOSSIUM & P: CLUVERIUM eo uſque abuti ſua eruditione & S. ſcripturâ (ex ea enim omnia antiquornm figmenta eſſe deſumpta, deducta, credibile non videtur) ut primus, *op: de Theolog: Gentil:* cum HERCULE (extiterit ne hujus nominis heros, an non, jam non inquiram) compararit SAMSONEM, ESAVUM ET JOSUAM: alter verò eum dixerit SPIRITUM SANCTUM. Si (lect: Beniv:) propria ejus verba velis, en habe illa ex ejus GERMAN: ANTIQ: L: I. C: XXIX. HERCULIS *equidem nomen propriè ſpiritui ſancto conveniebat*: Ἡρακλῆς *enim græcis dictus eſt, quaſi* τ̃ ἠέρος κλέος, *i. e. aëris gloria; per aërem autem quum intellexerint* JUNONEM, *qui eſt filius Dei; rectè ſpiritus S. dicebatur Dei gloria; Jam verò* HERCULES *credebatur gigantes interemiſſe, quum cælo propugnaret, quaſi virtus deorum; ut ait* MACROBIUS *prædicto l:* XX. *l.* I. *Saturnal: Gigantes hoſce nullos alios fuiſſe, quàm angelos, quos rebellanteis Deus cælo dejecit, patebit infrà. Dii igitur illi etiam, quos gigantes cælo pellere conati ſunt, nulli alii fuère, niſi in unitate Deus pater & Deus filius; Quis autem ille* HERCULES, *qui hos adjuvit in propugnando cælo, niſi tertia Deitatis perſona, ſpiritus Sanctus?* permitte mihi (lector) ſemel in literis & nominibus ludere; nos belgæ utimur, ubi quiſpiam fabulas, vel non credenda narrat, phraſi, **hy klapst**; hujus ſanè comparationis reſpectu, hic auctor ſuo nomine, ne quid pejus dixerim, dignus revera eſt, **een klapper.**

Sed quid vetera, quid hæc queror! noſtrorum enim temporum ſcripta & ſcriptorum dedicationes, quibus homines ſeſe titulis ad ethnicorum invidiam, ſupra mortalium characterem, extolli ſinunt, mihi pro augurio & adinſtar præſagii ſunt, nos noſtroſve nepotes, niſi Deus ipſe labentibus rebus opem ferat noſque conſervet, ſervituti & idololatriæ ſubmittendos extare certò. Pro typo ſint adulationes, quibus S. PETRASANCTA *tract: de ſymbolis Heroicis*, & P: GILLE, *Tract: coron: gratulat: Saliſb:* Principes Purpuratoſque proſequuntur impiique QUINOTII cantus; noſtrum autem paraſitorum lucripetarum panegyriſtarumque idololatrarum ſervum enumerare pecus, quis in ſe ſuſceperit?

Secun-

Secundum nummiſma ex auro (vide fig: 2dam.) Alexandri Magni imaginem exhibens, amuletum credebatur, *in omni actu eum adjuvans, qui auro, vel argento illud expreſſum, geſtitaret.* Ita ut (vide Treb: Pollionem in Tyranno Quieto; *Hiſt: Aug: Rom: tom: 2. pag: mihi 382.) tota* Macrianorum *familia, viri in auro & argento, mulieres & in reticulis & dextrocheriis & in annulis & in omni ornamentorum genere exculptum ſemper haberent; eouſque; ut tunicæ & limbi & pænulæ matronales in familia hodie ſint, quæ* Alexandri *effigiem deliciis variantibus monſtrent.* &c. Æreos, hac effigie ornatos, nummos capiti pedibuſque circumligatos ex Chrysosthomo, homil. 12. patet: horum plures Chifletius, ut ipſe tradit, uno alteroque foramine, ad trajiciendum funiculum, quo geſtarentur, pertuſos, conſervavit.

Frequentiſſimum fuiſſe, locis publicis privatiſque omnique fermè ſupellectili corporiſque ornamento, fauſto omine, non tantùm Deorum, heröum; ſed & doctorum virorum effigies appendere, inſculpere, cum ex multis aliis auctoribus, tum ex Plinio de Epicuro. L: 35. c: 2. liquidum eſt.


Inter Nobiliſſ: Brederodianæ familiæ cimelia moniliaque æreum (vide fig: 3.) amuletum hoc, canem dormientem, qua hic apparet magnitudine, exprimens, comſervatum eſt nitidiſſimè. Hujus interpretationem viris doctis harumque rerum peritis, trado venerabundus. Qui in hujus imaginis dorſi medio aſſurgit perforatuſque cernitur æreus pedunculus (catenam quippe, ornatus cauſâ, pictor addidit) argumento eſt, pependiſſe de re aliqua; parte autem altera hoc amuletum leve & planum, ſapit undique antiquitatem veram.

De ſuperſtitioſo canum cultu, veneratione &c. ut, fuiſſe domus & familiæ præſides; Deos quoſdam eorum pellibus ornatos; cuſtodiæ & fidelitatis ſigna; Diis ſemideiſque adjunctos; in ſacrificiis mactatos; epulatos ab gentilibus; templorum quorundam æditüos; quarundam gentium Deos, vel Reges; quando fuerint locuti; qui eorum cadavera luxerunt ac ſepeliverunt, hæc, inquam multaque alia de hoc animalium genere, qui ſcire amant, utantur, pro indice, Alexandro, ab Alex: cum not: And: Tiraquelli.

Monſtra porrò imaginum cogitationumque amuletis inſcripta, liquet ex argenteo hocce numiſmate (vide fig: 4.) in quo horrendo, vel; ut verius ridendo, proſtat aſpectu ABRAXAS, ABRACAX, ſive ABRASAX, unus ex Diis, ab hæreticis in quaſi Deorum numerum inductus. Vide GYRALDUM *ſynt: deor:* L. 1. alioſque; habetur autem propriè inventum BASILIDIS, MENANDRI diſcipuli, multis figmentis celebris: ut virtutes principes cœlum condidiſſe; ex eo plures, uſque ad 365. ad anni dierum, ſcilicet, numerum derivatos, non JESUM CHRISTUM; ſed SIMONEM CYRENENSEM ejus loco cruci affixum &c: nemo enim facilè, ſaltem cum utilitate, omnia ejus deliramenta aſſequatur. De hoc Idolo cum J: MACARIUS, J: S: CHIFLETIUS, A: KIRCHERUS, Collega meus J: GRONOVIUS, L: AUGUSTINUS, I: SPONIUS & alii, viri ob immenſam in enodandis antiquorum hieroglyphicorum inſcriptionumque obſcuriorum literis peritiam, OEDIPI omniumque literatorum æſtimatione digniſſimi, plurima habeant; confirmaverim ego ſolummodò, in ſcopum meum, credi amuletum hoc vires reſtaurare, victoriam adferre & eſſe antidotum peſtis & ærumnarum; gallinaceo quod capite, ſerpentinis pedibus, ſcuto & flagello deſignari videtur. Aliquando (vide tab: 2. fig: 3.) gladio, non raro ſtellis, animalibus &c. circumdatus (vide tab: 2. fig: 1.) utplurimùm adſcriptam habet vocem IAW, vel, uti in hoc numiſmate ejuſque oppoſito latere (vide tab: 1. fig: 4. & 5.) literas nullum continentes ſenſum; vel (inſpice tab: 2. fig: 1. & 2.) Angelorum nomina.

Ita hoc amuletum lapidi corn: inciſ: in circuitu ornatur nominibus ΟΥΡΙΗΑ. ΣΟΥΡΙΗΑ. ΓΑΒΡΙΗΑ. ΜΙΧΑΗΑ. URIËL. SURIËL. GABRIËL. MICHAËL. ſuperbit inſuper octo animalibus tribuſque ſtellis, ſupra caput noctuâ, deinceps accipitre & columbâ in fuſtibus ſedentibus, ſcorpionibus duobus totidemque ſerpentibus & infra pedes, crocodilo. Porrò, quod Deum pudeat! membro rigente virili, VENERIS characteri chimico conjuncto, totus proſtans nudus, ad latus ſiniſtrum vocem habens IAW. ΙΑω.

Hujus amuleti alterum latus literas obtinet Græcas; P.X.A.Δ.H.T. quid ſignificent? dicant, qui eas intellexerint. De


Pag: 60.
TAB: 2
Fig. 1.
ΜΙΧΑΗΛ ✶ ΟΥΡΙΗΛ ϹΟΥΡΙΗΛ ΓΑΒΡΙΗΛ
2.
CORN. INC.
Fig: 5.
6.
CORN. INC.
Fig: 3.
4.
ϹΑΒΑѠ
ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ
ΑΒΡΑϹΑΞ
JASP. INC.
Fig: 9.
CORN.INC.
Fig: 7.
8.
JASP. INC.

De tertio amuleto, utpote ſupra ex parte diſcripto lapidique Jaſpidi inſculpto, plura non dicam; niſi in ejus oppoſito latere voces legi; CABAW ABAANAΘANAAPA ABPAXAZ; primæ SABAO, SABAOT, ut & tertiæ ſenſum capio, ſecundæ minimè.

De *noctua*, *columba*, *ſcorpione*, *ſerpente*, quid ineptierint cum antiquis veteres quæque myſteria ex literis nominis ABRAXAS BASILIDIANI & JUDÆORUM CHRISTIANORUMque quidam, turbatæ mentis homines, ſibi & aliis perſuadere conati ſint, recitare, moleſtum, ut & ſine fruge, opus, ſuperſedeo; ne cum H: CARDANO & ALE: MAGNO ſuperbire, vel cum H: C: AGRIPPA, de cujus vita & cane nigro, pueris & nucum emptoribus venalia exponit P: JOVIUS *in elog: doct: viror:* enthuſiaſmo correptus videar: ille enim in occult: Philoſoph: ſua ita de Deo, Angelis eorumque nominibus ordinibuſque differit, ac ſi ab intimis Deo eſſet conſiliis; ſed apage cum iſtis ſibi nimium fidentibus mortalibus! De animalium ſuperſtitioſo abuſu, vide cl: G: J: VOSSIUM.

Quod figura 5tâ. & ſextâ, conſpicitur amuletum, lap: corn: inciſ: effigies eſt hominis captivi, raſo capite, columnæ triumphali alligati, abeunte ab victore, pueri interceſſione, genubus flexis, libertatem deprecantis votivumque videtur amuletum. Septem quod planetis totidemque ornetur, ab oppoſito latere, characteribus non intelligibilibus, novum non eſt: primò; pro acquirenda libertate, vel eâdem acceptâ hæc, aut ſimilia ἀποτρόπαια, malorum averruncatoria eſſe geſtata, docemur ab ARISTOPHANE, TERENTIO &c. 2dò; de ſeptenario horum planetarum characterumque numero, conſtat, etſi de numeris aliis præſertim verò ternario, de quo poſtea, multa quoque ſomniarint, antiquitùs obtinuiſſe;

Numero Deus impare gaudet.

Sed dixerit de ſeptem hiſce characteribus forſitan aliquis? qui tu iſtos non intelligis, non ſequitur, eſſe non intelligibiles: mi-

nimè; verùm, quod nemo hominum & hoc ſtatuo de hiſce characteribus, intelligit, id non eſt intelligibile; ſi quis verò ſit qui eos percipiat, aggrediatur eorum enodationem, amo doceri.


Victoriæ Amulctum (vide fig: 7. & 8.) leo pedibus inſiſtens, lap: Jaſpidi inſculptus & nomen alteri inſcriptum IAW, de BASILIDIANORUM cœtu eſſe, docere videntur.

Hoc quod ſequitur amuletum (vide fig: 9.) corn: inciſ. pro CHIMÆRA mihi venit. Quid de hiſce iiſque ſimilibus amuletis, acceptum ab antiquis habeamus, vide apud L: AUGUSTINUM, *tract: de gem: antiq*; fig: 203. & 204. & A: GORLÆUM, p: 2. dactyliothec: fig: 222. 223. prim: ex verſione, alter: ex editione Cl: J: GRONOVII.

Ex Chimicis aliiſque itidem characteribus ejus commatis myſtica quaſi nummiſmata amuletaque ab aurivoris inſatiabilibuſque Medicaſtris, impoſtoribus eorumque porrò aſſeclis eſſe fabricata, patet, ex tab: tertiæ fig: 1. & 2. argenteo nummo: fig: etenim Prima exhibet IOVEM, ♃. ſtannum inque ejus pectore, SATURNUM ♄, plumbum, manu tenentem VENEREM, ♀ æs, ſagittâ inſtructam, hujus capiti imminet, DIANA, LUNA, ☾. argentum, ſupra TAURI tergum ſignum cœleſte micat, ♉. ſive ſalis gemmæ frontique tauri affulget, APOLLO, SOL ☼ aurum. inter ♃ & ♀ corvus eſt & ad eorum latera nomina leguntur SATQUIËL. ANAËL.

Hiſce opponitur parte altera (vide fig: 2.) imperceptibile multorum numerorum, in quadrangulo ſchema, ſupra legitur ANAËL, cui præfigitur ſignum ♓ cœleſte piſcium, ab latere ♉. & ☋. ſalis alkalini, inferius æris, ♀ & Sulphuris, 🜍.

Hoc quoque Chimicam ſpectare, nullus dubito ex argento, quod ſequitur, nummiſma; vide fig: 3. & 4. ab uno & altero latere literæ creſcenti & decreſcenti lunæ inſcribuntur; primæ; REGE CORPUS ET ANIMAM MEAM. Secundæ DEUS DANS INCREMENTUM OMNIBUS. Primum latus DIANAM in manu face & lunâ in fronte ornatam, aſino (de quo animali multa apud BASILIDIANOS) ignem percurrenti impoſitam, cum voce hebraïca


Fig: 1.
Tab: 3.
2. Pag: 62.
ARG.
ANAEL
SATQVIEL
ANAEL
Fig: 5.
Fig: 3.
GABRIEL
REGE CORPVS ET ANIMAM GENITO
AES.
4.
MVRIEL
DEVS DANS INCRE MENTVM OMNIBVS
ARG.

braïca & latina Gabriël & charactere mihi incognito ad marginem, repreſentat.

Alterum latus, ſub voce Muriël & corruptis literis hæbraïcis, Cancrum piſcem exhibet. De cancro in Zodiaco, cancris aureis, cancro piſce, varia leguntur apud mythologos, ut & J: Schifferum de antiquis torquibus, Plin: Secund: &c.

Sed eheu! abyſſum obſcuritatis & ineptiarum! in quam, ſi operæpretium videatur, deſcendant: per me enim, hæc omnia non intelligentem, licebit, Chimici: aurum ſi exinde reportent potabile, aut devorabile, mecum dividendum non arguam.

Ultimò: feſtino quippe ad alia, profligàtæ nequitiæ mortales turpia quoque, ſub ſpecie religionis, pro amuletis, ut antiquitus pueri, imperatores & alii bullas, faſcini nomine, geſtitaviſſe, liquet ex figura quinta, leviter adumbrata, ne impietates haſce quàm delere, revelare potius videar denuò: qui plura de hiſce legere & videre deſiderat, pervolvat Vincentium Alsarium; de *invid: & faſcino veter: PIGNORIUM*, *de Menſ: Iſiaca*, pag: 33. ſed ut ſtomacho non facile conciliatur, quod ingratiis acceptum eſt; ita mihi ex antiquorum deliramentis, nugis & idololatria, cum faſtidio, nauſea eſt & vomitus perpetuus. Tu interim (lector Benivole) averte cum mente oculos pudibundus ab hiſce; ſed perſequere nihilominùs mecum, noſtri temporis, reſpectu Amuletorum, præjudicium, ſuperſtitionem & impoſturam, uſquedum, qui amuletis verus uſus quæque in genere Medicina ſit Rationalis, perceperis.

ARTIC: SECUND:

DE CURATIONE MORBORUM DIVINA, SACRA, MYSTICA.

Hanc curandi methodum, captum hominis definitum, erroneum, imbecillem indefinitè ſuperantem veneror, miror; fidem ei adhibens illibatam, quatenus ipſa S. Scriptura, quæ ſæpius illam commemorat, commonſtrat, docet, illam nobis deſcriptam

ſcriptam reliquit. Hæc illa eſt curatio, quæ actu humano præſtari non poteſt: licet enim hanc, aut illam materiam extus adhibitam videamus, illam tamen, vi ſua naturali, peregiſſe curationem, neminem credere confido; quoniam illa ab mortalibus poſtmodum ſexcenties adhibita, ſpem illuſit votique compotem nunquam fecit actorem: in hanc curationis methodum itaque inquirere ſuperbi, dementis, aut impii eſt. Ita JAMBLICHUS CHALCIDENSIS ille Philoſophus, de quo multa apud hiſtoricos Eccleſiaſticos inveniuntur; conatus eſt explicare (vide ejus fragmentum DE FATO) quo modo Dii opem ferant precibus: ita & alii Icareo auſus effectu, in abditiſſima hæc ſacra penetrare non ſunt veriti: ſive ergo ægritudines, morbos, ulcera &c. in populum Iſraëliticum miſſa; primogenitorum aliorumve mortalium ſtragem (populo Iſraëlitico inter eos conſervato) vel Deum ipſum ſe SANATOREM renuntiantem videam, audiam; vel MOYSEN alioſve Dei Miniſtros ægris medentes, actu, humanæ menti non perceptibili, obſervem, in veteri Scriptura: vel cæco viſum, leproſo munditiem corpori reſtitutam, fluxum ſanguinis ab duodecim annis reſtrictum, alioſve morbos, ictu temporis immediatèque ab SALVATORE NOSTRO, JESU CHRISTO, ejuſve diſcipulis curatos; quinimò ab morte reſuſcitatos, in nova ſcriptura, comperiam homines; obſtupeſco & extaſi reſoluta, exclamo animitus o! prodigia, miracula non vana, mentiſve non conſtantis illuſione ficta; o! DIVINAM, SACRAM, MYSTICAM CURATIONEM, o! flagrantem, incomprehenſibilem ſanitati corporeæ coöperantem exſuperantiſſimamque ſummi numinis, in humanum genus, gratiam, amorem, miſericordiam!

Cum autem multæ quæſtiones ex hoc argumento, vel in illud formari poſſent, eas, ut merè Theologicas, viris hoc in ſtudiorum genere ſpectabilibus, venerandis, decidendas relinquo, Theologis, inquam, orthodoxis; non verò illis (Theologorum enim ſub titulo veniunt) qui, demiſſa quaſi in eos cœlitus auctoritate & Jure vitæ & necis in mortales, unumquemque hominum ad ſua dogmata carcere, igne, ferro agnoſcenda cogit; imò poſt martyrium corporis, animam quoque ad æternum damnare ſupplicium non verentur.

Hac

Hac opportunitate non inutile duxi tamen De Miraculis (de iis enim hoc in articulo agitur propriè) quædam monere; præprimis Clariss: Connori *Evangelium Medici* ſpectantia; quoniam mihi cum hocce viro multa fuit conſuetudo hacque de materia ſermo multus, ſynopticωs hac in diſſertatione enarrandus: Abſit interim (Lect: Beniv:) etiamſi ejus cogitata, ut futilia, rejiciam, ejus famam & quidem poſt obitum, invectivis proſcindam, convitiis lacerem; hoc quod, vel ab inſcientiſſimis, dum viveret, expertus eſt facinus indeſinenter.

Quæ ergò contra ejus cogitationum molimen, oretênus, cum ipſo communicavi, erant,

Primò; ipsum multa gratîs de motus legum suspensione supposuisse: Secundò; ipsum ita de Deo ejusque potestate statuisse; ut, ne latum quidem unguem ab multorum dogmatibus recedens, inutiliter inquisivisse videatur in modum actionum Dei; dum ait, Vid: pag: 27. Supremum rerum opificem, ſolum eſſe unicam & immediatam omnium affectuum cauſam & pag: 37. (hæc enim ipſius ſunt ipſiſſima verba) nemo non videt, quod ſupremum & abſolutum eſt ſummi numinis imperium in omnia corpora & in reliquas, quas ipſe creavit, ſubſtantias: ipſius nutui ſubjiciuntur, à ſola ipſius voluntate dependent & conſervantur & in omnem ſtatum elevari, aut mutari poſſunt (addens) ſcimus quoque, quod non tantum miracula omnia; ſed etiam ſolita & communia rerum phænomena à Deo unicè & immediatè producuntur; inutiliter ergo (inquiebam) ipſum inquiſiviſſe in modum, quo Deus efficeret miracula; quia, etſi (quod minimè concedo) percipi poſſet, quo modo Deus efficeret miracula; illa tamen perceptio imitandi iſtam poteſtatem mortales non doceret modum atque ſic multis verbis Reipublicæ Medicæ utilitatis (qui tamen ipſius ſcopus videbatur) attuliſſe nihil ſuaque ſpecioſa methodo illuſtrandi operationem, eventum, curationem divino actu,

homini non imitando, probare, quæ sexcenties sunt probata, esse & dici divinas operationes, eventus, effectus, curationes; miracula; adjiciens huic meæ sententiæ adstructionem; expetens, nempè, ut ipse ille (perpensis eis ter & amplius) cogitationum suarum optimus vindex, earum utilitatem demonstraret effectu: ait enim pag. 25. Perpensis primùm motûs naturâ & legibus; nec non triplici motûs suspensione, sequentia & plurima alia stupenda circa corpus humanum phænomena, quæ miracula quoque esse fatebor, explicare aggrediar; quomodò, nempè, concipi potest, quod corpus humanum, ardente igne cinctum, non comburatur? quomodò per mare, aut super undas ambulare poterit; nec immergatur; quomodò sine alimentis diutissimè; imò in perpetuum vivere potest? quomodò generari poterit ex fœmina sine mare? quomodò formari potest sine mare & fœmina? quomodò recens extinctum; imò & ante plura sæcula in pulverem jam dudum redactum ad vitam revocari potest? Ultimò, rogavi ipsum inter confabulandum, præsentibus duobus medicis Anglicanis; an ipsi non viderentur verissima antiquorum & acutissimi MARCELLI MALPIGHII *de recentiorum Medicorum studio*, effata? videlicet, a subtiliore animalium & plantatum Anatome ad pompam & ornatum instituta, commodi nil accipere Rempublicam medicam? & an omninò non aliud quid sit, philosophari? aliud mederi? Cujus ultimum opus sanitatem respicit, demonstrans ei experimenta medica & practica constituere medicum ejusque esse studium morbi progressum & adhibitorum medicamentorum effectum observare frustràque in salium inquiri figuras, quorum virtutes erant notæ, antequam de figuris cogitarent scholastici; verbo (hoc enim de themate plura habet MALPIGHIUS) convici, ipsum claudicare, pede, quo claudicant quandoque acutissima ingenia; laboravisse, nempè, in rebus inutilibus & non solùm non profecisse, sed verò commoditatis cum tempore amisisse multum, cui veritati, serò sapiens, annuit animitùs; scrupuli tamen quid inferens, circa observationes phænomenorum morborum & me-

dicamentorum adhibitionem effectumque ; contendens comparativè solummodò hanc methodum investigandi morbos obtinere deque uno in alium ægrum non posse transferri; pro individuo, sexu, ætate, regione, regimine vitæ &c. eum in modum differre; ut certi inde nihil statuendum videretur; hæc discriminis aliquid & molestiæ in se habere negavi minimè; verum probavi facilè, exactam morbi & medicandi historiam luminis plus medico dubitanti & morbum investiganti adferre, quàm *solum & unicum, cum omnibus Geometriæ figuris, ratiocinium mechanicum.*

Tantùm de Curatione morborum Divina, Sacra, mystica: transeo ad

ARTIC: TERT:

DE CURATIONE SACRILEGA, PERFIDA, SUBDOLA, FRAUDULENTA, PHANTASTICA, NUGATORIA, TEMERARIA.

SACRILEGUM illud est & fictitium CURATIONIS TENTAMEN, in & ad quod Dei, Trinitatis Jesuque S: S: nomine abutuntur, qui, dum illud aggrediuntur, se norunt impios, rei medices ignaros deque horum verborum efficacia, neque ratione, neque experientiâ instructos & tamen præviis hisce sine verbis, curationem non posse fieri, quinimò non medicamentis; sed hisce verbis; suo, nempè, de ore enunciatis, opus esse, miseræ plebi persuadent; sic amuleti in formam ipse cum aliis vidi nugas varias collo pedibusque adhibitas; diris nunc, nunc ridendis inscriptionibus variisque involucris ornatas: puderet referre (nisi ipsa me pertractanda urgeret res) infandum hujus sceleris exemplum; vetulæ, nempè, ex amaurosi laborantis collo appenderat nequam oculista circulator, variegato panni margine (een Zelfkant) incluso, divinum (ut ajebat) amuletum, quod ab nobis apertum, schedulam continebat, in qua hæc legebantur verba, de Duyvel sch... je de oogen vol.)

Hujus classis is iste est medicus, quem in hujus exercitationis præfatione designavi: jure enim jurando interposito, per tria unius Dei nomina, ægros promittere cogit, se de mystica sua curationis methodo nihil revelaturos; jurans ipse per idem jusjurandum, sibi esse ab Deo datam potestatem omnes morbos curandi, sine medicamentis; cum eo, pari passu, ambulare mihi videntur medicastri, qui cum obstetricibus, in nomine Trinitatis, comburunt secundinas, sale consperfas multo quique ex amnii, choriive plus, minusve lacerata membrana, cum, vel post fœtum, prodeunte, de fato, sive futuris, respectu infantis, vaticinantur, præsagiunt, quæ norunt parentibus esse accepta & se ipsos hæc tamen latere: si enim homines, teste GELLIO, res futuras prænoscerent, tolleretur, quod maximè inter Deos & homines differt.

Hoc sub titulo mihi veniunt superbi, invidi, lucripetæ, qui, contra animi sui religionem, medicos clam imprudentiæ & inscitiæ arguunt, qui ante ipsos tractaverunt; non verò curaverunt ægrotantes; is etiam mihi sacrilegus est, qui, quod ipsa pudicitia morumque integritas celari, sibi, ut solùm suæ curiositati immodestæ satisfaciat, detegi petit; ut exinde, scilicet, exactior ipsi sit morbi cognitio & remediorum applicandorum instructio; differt, scilicet, maximè ratione curationis, innotueritne medico, vel non, ubi vir, aut mulier gonorrhæam contraxit, ab quo, vel ab qua? quo statu corporis? quo loco? &c. in hunc morbum inciderit? tandem & notandi mihi extant, hâc maculâ, illi abortuum promotores. Sed percurramus fugiamusque ea, qua, decet celeritate, hanc hominum colluviem.

PERFIDI sunt, qui contra decorum; taceo jusjurandum HIPPOCRATIS; cum erronibus praxin communicant praxeosque rapinam dividunt, celanda revelant, revelanda celant, furibus tamen & latronibus feliciores: illis enim sceleris pretium crux; hisce, munera, honor & argentum est; porrò, qui vulneribus sordes injiciunt, ægris timorem, ultra necessitatem, incutiunt & SUBDOLÈ curare fingunt, quæ curanda non extant, vel ægros blandiendo, perdunt atque tùm respectu medicamentorum, tùm ipsius ægritudinis, quid pro quo FRAUDULENTER venditant.

FAN-

FANTASTICUM, FANATICUM & PHANTASTICUM, illud est, curationis molimen, quo, quis impetu (ut in fanis quondam oraculum editurus) correptus furit, aut ubi ab veneratione in res divinas, cadit in superstitiones, homo medicans; credens paganus, numerum ternarium; Palladi sacrum, Hecaten triformem, Cerberum tribus de faucibus latrantem, tres Furias, tres Gratias, tres Parcas, ter lustravisse, ter clamavisse in exorcismo, ter conclamavisse in funere &c.; aut Christianus in hoc numero & figura triangulari, vim latitare curationis magnam; hi illi sunt, qui credunt, vel nomen Dei, apostolorum, sanctorum sufficere, ad omnia curanda mala: ita amuleti in modum JOBI nomen, chartulæ inscriptum, contra luem pestiferam & (quod pudendum dicam, an ridendum?) Veneream, partibus affectis, appendunt; convenientes cum NUGACIBUS; qui filo, rubro colore, nempè, saturato (scharlaaken Berf) subluxationes carpi curari sustinent; dentem furis, laqueo necati; sed per tres dies terræ mandatum, contra dentium dolores; clavum fortuitò de solea equi in via relictum, contra podagram commendant. TEMERARIA, sanè curatio est; etsi hæc aliquando cum fruge sit instituta; quâ (Ex: gr:) quis contra febrem, *decem uncias Spir: Vin: lactis press: ℥v. & piper: contus: ʒiij.* præscribit: in Chirurgia, dente VERRUCAS eruendas; ungue LINGUÆ VINCULUM perscindendum; ob levem HERNIAM, testes homini adimendos, suo docet exemplo: Hosce autem contra scurras (præsertim respectu ultimi casus & quidem JACOBI DE BEAULJEU, pseudo-eremitæ) DECADE SECUNDA agam ex professo.

ARTIC: QUART:

DE CURATIONE PER IMAGINATIONEM ANIMIQUE PATHEMATA, ARTE, AUT CASU EXCITATA.

Imaginationis vim omnes medico-physici; imò & plebei agnoscunt conveniuntque in eo recentiores; esse imaginationem

actum animæ; proinde brutis negari; qui verò eam quoque in brutis obtinere contendunt, exemplum verbaque Geneſeos Cap. 30. verſ. 37. &c. de variegandis colore pecudibus & ſimilia in probationem adducunt; ſi quæ autem ſit, quæ maximorum virorum ingenia laſſavit ratiocinandi materia, hæc illa erit de methodo, quâ imaginatio agit; exercitatione hacce quæſtionem hanc ad normam pertractandam non ſuſcipio; quia minùs de methodo actionis imaginationis, quàm de actionis effectu & curatione per eam, juxta hujus articuli titulum dicendum, mihi videatur; inſpectione tamen anatomica conſtat, de matre in fœtum, utero incluſum & vice verſa, nullum tranſire vas; neque ſtamen nerveum, aut fibram; imò fœtum per ſe ſubſiſtere, incrementum capere liberumque eſſe, tempore ſaltem quo ab ovario ad uterum tendit; per contiguitatem atque ita ſolummodò per appoſitionem & mutuum contactum, fœtum cum matre commune quid habere, *per nervos autem in corpore animalis omnem fieri motum eumque in brutis elaſticum, ultrà in homine per animam dirigi*, demonſtratum reor, exercitatione decadis hujus ultima, perſpicuè.

Hinc facilè colligo in omni completorum (ut vocant) animantium genere poſſe mutari formâ, figurâ, loco, colore, &c. fœtum: nam quod organorum actu nervorumque vi elaſtica in brutis, id idem imaginatione, actu animæ, inſuper nervis accedente, in humano fit genere; etſi ergo Jacob ex Dei mandato virgas populeas virides, amygdalinas & ex platanis, decorticatas &c. gregibus ante oculos poſuit, non pecudum imaginationem; ſed cum visûs cæteros nervos in actum duxit inordinarium; ne autem hunc S. S. ſcripturæ locum, cujus verſio variat pro interpretibus, ulteriùs exagitem, experior; multa phœnomena præſertim in gravidis, deduci ab imaginatione & animi pathematibus, quæ, re probè inveſtigata, aliundè derivanda extant; ita (non violo tamen, dum hæc enarro, ſponſionem Hippocraticam) exercens embryulciam, de utero puellæ non maritatæ deformi corpore fœtum; quinimò monſtroſum, cujus ſceleton in muſæo meo eſt, extrahens, de puerperæ ore excepi, ſe utraque manu, quâ potuiſſet violentiâ, in quadratæ menſæ punctum continuò compreſſiſſe abdomen, de-

figura-

figuravisse hoc pacto; imò necavisse embryonem; idem hoc intellectum volo de multis deformitatibus corporis, nullo modo imaginationi; sed verò violentiæ exterius illatæ corpori imputandis; respicio, dum hæc contemplor & simul horreo nugacissimas istas historiolas & improbas, de monstris: ex: gr: si in fronte cujusdam bestiæ assurgat excrescentia, vel embryoni, ante diem utero excluso, macula quædam cuti inhæreat, inde affirmetur ab nonnullis, Deo mulierum hodierna capitis ornamenta esse invisa.

Imaginationis animique pathematum effectus & exempla, ut omnis auctor hanc qui tractitavit materiam, attulit multa; ita Clariss: J: N: PECHLINUS observ: l: 3. talia & tanta, nunc de morbis, excitatis, nunc curatis per animi pathemata, qualia & quanta vix ante ipsum quisquam, enarravit; non autem ego is sum, qui suspicor (agitur enim de fide auctoris & historiæ) me valere omnibus inficias ire; sed tamen; si quo in negotio, in hoc, credere periculosum est; verum agamus ad titulum; morbos per imaginationem animique pathemata curari, verissimum est; vides itaque (*Lect: beniv:*) quoniam hic circa corporis animæque actionem, multa ab medicis possunt & debent præstari, aperiri simul, ad scelera exercenda, spatiosissimum campum circumforaneis, medicastris, rabulis, lucripetis; vide ergo, de latebris ut prodeant suis fraus, astus, dolus, impostura; vide, ut, qua possunt, celeritate, ruant, primò; in miserum popellum, in quadrivias & angiportus, hinc in cives; tandem in magnates, secum ducentes, nunc metum, terrorem, sollicitudinem; nunc verò vanas promissiones, temeratam fidem & blanditias, sternentes viam credulitati, una quæ animi imbecillitas istis impostoribus medicis (dictis patheticis) inexhaustæ quondam aurifodinæ fuit quosque Clariss: LEUFNEU Med: Doct: Roterodamensis eum in modum nuper exercuit risuique contemtuique exposuit, ut de iis; etsi in propriam meam personam illorum fraudem inscitiamque expertus sim, ne gry quidem sim commemoraturus.

Ut per imaginationem animique pathemata ægrotantibus auxilium adferatur, opus est medico probo, prudenti, experienti: probo; ut omnia juxta animi religionem peragat & nec spe, nec metu, vel

animi

animi passione quadam in partes alliciatur; sed qui proximo quàm sibi benevelit: prudenti; ne ab vafris & morbos fingentibus decipiatur, cujus exemplum nuperrimè mihi cum chirurgo Vlardingensi in puella, convulsiones fingente & olim Hagæ-Comitis, cum celeberrimis medicis in quadam, cruciatam se ab diabolo asseverante, accidit: experiente; ut pro re nata, nunc menti, nunc corpori medeatur: quia cum delirantibus, furibundis, melancholicis, meticulosis pluriesque cum uterum gestitantibus ipsi est negotium: assentior vehementer Cl: CARTESII penultimo de passionibus animæ articulo contraque earum vim sapientissimi Philosophi tranquillique animi pii BOËTII remedio, quo immoderatæ animæ affectus probè, prudenter & experienter moderari studet.

ARTIC: QUINT:

DE CURATIONE EMPYRICA, RESPECTU AMULETORUM.

NE iterum in veterum neotericorumque nugas incidam anilibusque & Jove nondum barbato, jam nunc notis fabellis, tibi (*Lect: Beniv:*) mihique oneri sim ultrò.

EMPYRICA, respectu amuletorum, CURATIO est, quâ, appenso, vel adhibito læsæ cuidam parti extûs medicamine, ab multo tempore proborumque virorum experientiâ & auctoritate proditum habemus, eam, alio sine adhibito remedio, postmodum extitisse curatam; etsi quoque tùm ægro, tùm medico appensi, vel adhibiti extûs medicamenti virtus sit ignota; hanc si quis sequatur methodum curandi; tria, oportet tamen, observet:

PRIMÒ; FAMÆ SUÆ CONSULAT NIHILQUE ADMITTAT, PRÆSCRIBATVE EXTÛS PARTIBUS APPLICANDUM, RATIONI PLANÈ CONTRARIUM.

2dò;

2dò; AN IN IIS, QUÆ ADMITTUNTUR, VEL PRÆSCRIBUNTUR EXTÛS ADHIBENDA, NOXIUM NON LATEAT PHARMACUM.

3tiò; POSSE QUÆDAM HONESTÈ PRÆSCRIBI ET ADHIBERI EXTUS, QUÆ NEC NOCENT, NEC JUVANT; EUM TAMEN IN SCOPUM; ÆGRI UT DESIDERIO ET VOLUNTATI SATISFIAT; quod nobis Belgis in proverbium abiit;

Baat het niet / het schaad niet.

Ad Primum: si enim fidem adhiberet omnibus amuletis eaque præscriberet, vel admitteret, quæ (Ex: Gr) ab NIERIMBERGIO, ineptissimo nugatore, cui lapides loquuntur, saxa sudant quisquiliarumque nullus est finis, vel phantasmatibus LEMNII, ALBERTI MAGNI, WIERI, LAVATERI, DELRIONIS, FICINI similiumque fumivendulorum, eò duceretur; ut cum ipsis insaniret præscriberetque in formam Amuletorum, quæ illi præscribunt, jure merito famæ jacturâ plecteretur; quinimò; etsi famigeratissimus KIRCHERUS PARACELSUM, ob deliramenta & nugas varias, rideat rectè; caveat tamen sibi, qui mercari velit cautè, KIRCHERI, circa Amuleta & faciendam medicinam, mentem sequatur: si enim liturâ excipienda forent, quæ rationi in ejus scriptis non respondent, una toti ejus operi sufficeret: illi enim cum CASALIO famæ suæ non consulunt, qui in sic dictum agnum Dei, Scapularium, dentem Apolloniæ, recitationem trium primorum versuum Euangelii S. Johannis &c. &c. &c: multarum curationum, ut pagani in Bullas aureas (vid: J. SCHEFFER) contra magicos dolos pro pueris, quod jam, qui nondum aëre lavantur, vix credunt, spem ponunt: nam etsi antiquitus (vid: Clariss: J. SPONIUM, V. ASSARIUM, L. AUGUSTINUM aliosque de re antiquaria optimè meritos quorumque scripta jam sunt notissima) quemadmodum & superius monui, ex metallo, lapidibus, gemmis &c. cum iconibus & inscriptionibus amuleta fierent; non tamen eò deveniat, oportet, medicus; ut lapidem (dictum Aquilinum) extûs corpori adhibitum, sursum,

K deor-

deorſum, horſum & vorſum in utero fœtum trahere, pellere; neque faſciis faſcinationes impediri, vel carminibus, induſio obvolutis, de cœlo lunam deduci poſſe; neque ranarum viſceribus prodigia contegi, vel pelle crocodili, vel capite oſſeo aſini, tempeſtates arceri credat; niſi cum A. THYANÆO, ZOROASTRE & TAGE impoſtoris titulum dividere non vereatur; ſed verò Amuleti in formam contra peſtem *Mercurium vivum* extûs; imò veſtimentis adhibitum: contra narium hæmorrhagiam, *Vitriolum Cyprinum*: contra hyſtericas paſſiones, *Succinum*, *Aſſam fœtidam* &c. præſcripſiſſe, adhibuiſſe extûs & empyricè, prudentis medici famæ non oberit: hujuſmodi enim de remediis effluvia noſtrum in corpus poſſe agere, nemo eſt, qui neget; de herbis (ex: gr:) *Verbena*, *Hypericone*, *Myrtho*, *Lauro*: de arboribus, ſeminibus, (ſic dictis) ſacris magicis Amuletiſque aptis; ſi quis multa legere amet, inſpiciat M. LIPENII *Stren: Hiſtor:* de ſola enim verbena habebit, quod ſatis erit hocce de lemmate.

Ad Secundum; ſic ſub Amuleti forma collo; ſi appendatur ſternutatorium, vel nauſeam, nervorumve concuſſionem excitans medium, fœminæ uterum gerenti, noxium & ultrò ſigno eſt abortum moliri eum, qui hoc Amuletum præſcribit: idem ſi ſanguinis æſtum inſtigantia naribus apponat, venam ſecari corpuſque moveri violenter jubeat, dulcia manducanda, frigidam ſub luſtrationum ſpecie (ſcilicet; ut rigores, tremores excitentur) adhibendam manibus, commendet.

Ad Tertium; ita *ſylveſtris cardui capita*, contra hæmorrohoïdum fluxum; *talpæ vivæ abſciſſi pedes*, contra arthriticos dolores; *oſſa ſecundi articuli alarum gallinarum*, contra ſpaſmum ſecum ferant ægri, medicus facilè permittit; non autem commendat; hoc de commate plura, etſi ab me commemorari poſſint; ſufficere pro ſpecimine tamen hæc, tu (*Lect: Beniv:*) annuis facilè.

ARTIC.

ARTIC: SEXT:

DARI CURATIONEM RATIONALEM, SIVE, UT VOCANT, A PRIORE COLLIGENDAM;

Ut perſpicuè demonſtrem; oportet primò definiam, QUÆ SIT CURATIO RATIONALIS: 2dò; EAM A PRIORE STATUTAM, CERTÒ EXTARE EFFICIENDAM.

1mò; rationalis curatio eſt, quæ juxta certas & rationi conſentaneas, in anteceſſum poſitas leges, regulas, normam &c. morbum certò tollit cujuſque agendi methodus ab medico tam clarè & diſtinctè percipi poteſt, quàm clarè & diſtinctè percipere poteſt ad deſignandum triangulum, tres debere exprimi angulos.

2dò; Hoc modo definita curatione â priore; deduco demonſtroque ex chirurgia, medicinæ fundamento, certas rationique conſentaneas poſſe ſtatui leges, regulas, normam eaſque executioni mandari certòque haſce ſequi curationem: ſi enim ex: gr: pars quædam corporis præternaturaliter eſt unita, conjuncta, cohærens cum alia, ſtatuit lex, regula, norma agendi in ejus curationem, illam unionem debere diſſolvi, cui ubi ſatisfactum eſt (& ei ſatisfacere eſt poſſibile) certò eſt peracta curatio: præternaturalis enim unio eſt ablata, dixerim idem hoc de cæteris chirurgiæ curandi legibus, regulis, methodis deque omnibus caſibus, in quibus hæc ars verſatur; puta de partibus præternaturaliter ſolutis, ablatis, auferendis, apponendis, reſtaurandis &c.

Si quis dicat; Primò; hoc in genere, omni in curatione obtinere, videlicet; ut, ablatâ causâ, ablatum quoque ſit malum & 2dò; ſolutione peracta, unionem præternaturalem quidem eſſe ablatam; ſed verò partem hanc, hac medicandi methodo, non reſtitutam in integrum, quod ad curationem requiritur; quinimò ex ea novum oriri malum, nempè, vulnus.

Reſp: ad prim: rariſſimè de morborum non chirurgicè tractandorum cauſa & indole, certi aliquid poſſe ſtatui atque proinde in anteceſſum ad eos curandos leges non poſſe ſtatui; quod ſi verò de eo-

rum causa & indole (quemadmodum semper in chirurgicis, in quibus morbi cognitio captum medicantis non fugit) certi aliquid possit statui, eos omnes, juxta certas leges, regulas &c. & sic à priore, extare curandos.

Resp: ad 2dum: Hoc argumentum contra meam thesin non esse: quemadmodum in primo casu, sic iterum in secundo satisfaciendum est legi alii, indigitanti certam methodum, quâ, secundum artem, præternaturaliter soluta nunc uniendo, nunc desiccando &c. in integrum & statum naturalem restituenda certò extant atque hoc ad oculum & chirurgicè demonstrabile est in restaurandis ossibus luxatis, depressione suffusionis, extrahendis de vulneribus extraneis, componendis ossium fracturis &c.

Neque erit quisquam, ut autumo (apud artis enim medices peritos me jam verba facere statuo) qui me roget, quænam hæc, aut alia circa alias chirurgicas operationes sit lex, regula &c. quoniam ipse quisque morbus ejusque phænomena & rerum exequendarum status requisitaque ad curationem tam clarè & distinctè conspicienda prostant; ut nemo sanæ mentis Medico-chirurgus ea non videat ultrò eisque legique satisfaciens, non percipiat, hac methodo se perventurum ad plenissimam curationem certò.

Si quis me tenere tentet, argumentando; hinc sequi omnes morbos chirurgicè tractandos semper debere curari; ei respondeo, hoc in thesi (ut ajunt) verum esse; sed multa huic objectioni & curationis effectui obstare; ex: gr: si morbus ab initio & à priore demonstrabiliter lethiferus; vel in loco, ad quem non datur tutò aditus, sit; si æger viribus non constet; si instrumenta, medicamenta &c. in promptu non sint; si ab ad artem chirurgicam inepto homine tractetur & sic porrò; respectu ultimi obstaculi, quod eheu! inter maxima est; sustineo: CHIRURGIÆ, MEDICINÆ POTIORIS PARTIS, VEL POTIUS FUNDAMENTI ENCHEIRESIN ET PRACTICAM IMITANDO; NON VERO SOLUM-MODÒ RATIOCINIUM MECHANICUM ET CHARTACEAM DOCTRINAM SEQUENDO, ACQUIRI ET CHIRURGIAM NON POSSE AD NORMAM DOCERI, AB EO, QUI ILLAM NON EXERCUIT, NEQUE INTER DOCENDUM ACTU DEMONSTRARE POTIS EST.

Demon-

Demonſtrata rationali & à priore curatione morborum, revertor ad hujus exercitationis proprium argumentum probatumque confido mecum habebit (lect: beniv:) amuletorum præſcriptiones, non ad rationis leges; ſed utplurimùm juxta veterum idololatriam, præjudicium & ineptias eſſe inſtitutas hodieque inſtitui, proinde mecum rejiciet, de medicandi ordine, cum talibus amuletis, omnes Taliſmanicas aliaſque, ut nullius effectus, figuras, characteres, lineas &c. quoniam ipſi harum ſtultitiarum propugnatores AGRIPPA, CARDANUS, ALBERTUS, FICINUS, DELRIO &c. aſſerunt icones & figuras, aliam radicem, virtutem, vel vim non habere, præter arbitrium & auctoritatem inſtituentis eòque magis ſpernet mecum hæc mentis ludibria; quia ex AMMIANO ubertim conſtat, ab omni temporum memoria, viros animo fortes ſapienteſque & ab primordiis Chriſtianæ Eccleſiæ doctores defendiſſe & reprehendiſſe (exemplo ſit contra quartanam febrem collo appenſum amuletum) amuletorum figmenta & abuſus.

Ultimò; curatio rationalis per AMULETA illa eſt, quæ ad normam, ſupra deſcriptam, inſtituitur; ita; ſi ſomno profundo, vigiliis exactis, motu ſanguinis rapidiore, reſpiratione liberiore, ſternutatione violenta &c. opus videatur, in eum ſcopum præſcribuntur medicamenta, de quibus conſtat, aliquid in ægrum, aut ex eo in illa, aut utrumque, tranſire illaque alligantur appenduntarque probè, Medico-chirurgicè & juxta rationem & experientiam collo, vel parti laboranti ſub titulo AMULETORUM.

EXERCI-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *SEXTA*; DE VARICIBUS.

Anno MDCCI, poſtridie Kalendarum Aprilis, acceſſit ad me JAN ROBBERTZ, Goudâ-Batav. ætatis XLI, vir macilentus, ſcipioni inhærens, præ dolore repens potius, quàm incedens & ne minimum quidem greſſum ſine querela & gemitu promovens. Denudato pede dextro, veniebant mox in conſpectum in genu regione exteriore, varices ingentes tres, livido ſubrubroque colore extus conſperſi, intus multo ſanguine impleti eumque turgentes in modum; ut jam jam cuti rupturam minari viderentur: inquiſivi mox in eorum cauſam, ortum, ætatem & de tempore in tempus mutationem; hauriens ex ipſo ægro ejuſque uxore, ipſi annos nato octo, in genu parte, quâ ad tibiæ os deſcendit, erupiſſe tuberculum piſi magnitudinis ſubrubrum, quod; etſi continuò caperet incrementum, negligenter tamen ab ipſo tractabatur, uſque dum ad ovi columbini magnitudinem aſſurrexiſſet atque *Trajecti ad Rhenum*, Chirurgo cuidam Gallo inſpiciendum exhibuiſſet, qui, poſtquam ei timoris ſat injeciſſet incuriæque arguiſſet vehementer, curationem eſt aggreſſus; ligaturâ, nempè, toti tumori circumjectâ eâque firmiter conſtrictâ, ſcalpello majore, eum abſtulit; ſed verò non ſine relicto poſtea ulcere impuro; cui alius Chirurgus, poſt multos labores multumque tempus, dubiam injecit cicatricem: expullulante indies hocce & duobus novis ejuſ-

dem

dem generis tumoribus, res de mala in pejorem abibat: de causa hujus mali suspicabatur ipse æger, eam ex gravibus laboribus & gestationis onerum molestia, quibus ab ipsa juventute fuit expositus, verisimiliter fuisse productam, saltem auctam; degens postea hac in urbe (Lugduno in Batavis) & ad fores civium lac vaccinum circumferens & vendens, ea tandem in varicem unum erat sanguinis coacervatio, congeries & affluxus; ut ille caput infantis magnitudine æquipararet inque ejus superficiem cum gangræna jam videretur ruiturus sphacelus, nigrescente, videlicet, quibusdam locis cute & dehiscente cuticula ab eadem: auxiliatrices itaque postulat, febre sæpius correptus, doloris impatiens & animo, neque viribus constans, famigeratissimi quondam Chirurgi, CHRISTIANI à STEENEVELD, manus, qui, usus consilio celeber: viri H. OOSTERDYK SCHACHT, renuntiato morbi titulo (varicem enim dicebat) ei mederi conatus est incisione & apertura, cujus ad tibiæ os vestigium expulsa ergo de varice, ingente sanguinis copia plagâque continuò, secundum artem, exceptâ, ulceri postea expurgato, omni molitus est modo, cicatricem inducere; sed verò (docta enim plus valebat arte malum) non sperato eventu, existente vulnere & ulcere quidem inferius consolidato, varice autem non suppresso, vel ablato; è contrario, de novo protuberante sarcomaque cutaneum, vel hypersarcoticum fingente ulcus.

Postquam aliorum Medicorum & Chirurgorum medicationes palliativas esset expertus observassetque cum iis, varices continuò, de minoribus in majores doloresque de levibus in gravissimos, cum perditione motus genu abire, me quoque convenit & consuluit: egi itaque cum quibusdam ex medicis & chirurgis, quos habuerat consultores, aut actores & quamvis eorum plurimi, moniti veterum dogmatibus, statuerent, hosce varices esse intactos, ut incurabiles, relinquendos; sedulus tamen desperato huic incubui negotio & hoc noli me tangere, tangere eâ, quâ par videbatur, prudentiâ mihi proposui.

Ex tribus itaque hisce varicibus, examinatis cæteris omnibus-

que

que eorum circumſtantiis, unum, pugni magnitudinis, curatu aptiorem & faciliorem tractitare incepi, quâ methodo, ſequetur inferius. Qui curandi ſpem & opportunitatem mihi faciebat, is erat, qui infra apicem genu ad ejus latus eminens, interioribus partibus, tendinibus, aut ligamentis non adhærebat & cum ſibi vicinis varicibus nullum commercium habere videbatur quique rupturæ proximus, ſpatii ſatis inter ſe & ſibi vicinos relinquebat; ut ſolus tractaretur: perſuadebam ultimò mihi miſerandam hanc hominis conditionem, per meum aliquod, prudenter inſtitutum, conamen, in pejorem non poſſe verti ducique; ſed videamus, priuſquam ad curationis actum progrediamur; Primò; quid ſit varix; Secundò; an unus ab alio differat? nomine, re &c.

Ne multis te, Lectorem & ſæpèſæpius citatis morer, incipe cum Hippocrate & pone lectioni tuæ, cum hujus ævi ſcriptoribus finem, experieris denique, omnes, mutatâ literâ, ſolummodò ſupponere; *varicem eſſe venæ dilatationem*; cujus cauſam Veteres *ſanguinem melancholicum*, *atrum*, *concretum*; Neoterici *craſſum*, *terreſtrem*, ſtatuunt: primi; *ſplenis oppilationem*, *hepatiſve debilitatem*; ſecundi; *venæ valvularum laxitatem*, *affluente in eas prædicto ſanguine easque extendente*, inculcant; aſſerentes, arteriæ aneuriſma, quemadmodum venæ varicem, eſſe vaſis ſanguiferi dilatationem præter naturam; ſed o! falſam & tyrones chirurgos decipientem varicis deſcriptionem: etſi enim ab quibuſdam addatur; venam non ſimpliciter dilatari; ſed quodammodò intorqueri ſubindeque quoſdam nigricantes nodos contrahere; illud ad varicis veri deſignationem, ne hilum quidem facit; ſed verò è contrario varicem verum, cum hæmorrhoïde & multis aliis, tum venarum, tum harum & arteriarum morbis atque ſymptomatibus confundit; niſi forſitan ſufficiat, pro diſtinctione & deſcriptione hujus (varicis) morbi ſpecifici venæ, venam in eo dilatari & vice verſa; cui tamen aſſertioni nemo prudens medicus ſuffragabitur: nam etſi in varice verò vena dilatetur; aliud tamen quid hæc vena morbifica habet, præter dilatationem, quod facit ad morbi hujus ab aliis morbis diſtinctionem & ex quo petendus eſt morbi titulus, notitia & curatio.

Inſpi-

Inſpiciamus quàm parum, cum varice, conveniat aneuriſma.

Primò; aneuriſma, cum reliqua vicina ſibi cute, concolor; varix diſcolor eſt.

Secundò; in aneuriſmate unus & ſolus ille tubus arterioſus, in quo aneuriſma, non unus & alter; in varice verò major vena & ejus ramificationes ſimul plus, minusve, pro ætate morbi, extenduntur.

Tertiò; ex aneuriſmate, licet inveterato, ipſe ſanguis nunquam inter partes vicinas diffunditur; quod verò frequens in varice: nam etſi in aneuriſmate quandoque partes vicinæ inflammatione corripiantur, idem hoc ſymptoma aliis morbis multiſque, imò omnibus majoribus ferè tumoribus familiare eſt: ſic ab exoſteſi, talpa, ſteatomate &c. diſtentæ, compreſſis vaſis ſanguiferis, vicinæ inflammantur partes.

Quartò; aneuriſma nunquam chirurgicè; varix verò ſemper cum fruge aperitur.

Quintò; aneuriſmate, ſponte ſua, rumpente, mors certa; varice verò ſuapte diſtentione crepante, doloris levamen & ullo ſine vitæ periculo, ulcus, præ foribus eſt.

Sextò; aneuriſma cum cute nunquam; varix ſemper cohæret: cum igitur comparatio aneuriſmatis cum varice & vice verſa non procedat (audi lector) quid, ſecundum me, ſit varix, nempè, venæ alicujus cutaneæ majoris, unà cum ſuis ramificationibus morboſa dilatatio, ex qua in corporis ſuperficie livido-ruber, inæqualis & ſine pedunculo tumor oritur; proinde varices in in- & externos diſtinguendi non videntur: etſi enim primorum meminerint cum Hippocrate veterum multi, eorum & ſecundorum omnes poſteriorum temporum Chirurgiæ ſcriptores: qui enim pro varicibus habentur interni quidam tumores, puta ſic dictæ herniæ vaſorum ſpermaticorum, hæmorrhöides & alii, venarum quidem;

ſed non ſine dilatatis ſimul & arteriis, dilatationes ſunt: argumentor itaque morbum, quo vaſa dicta ſpermatica diſtenduntur, non eſſe herniam: in omni enim hernia peritonæum extus extenditur, quod in ſic dicta hernia vaſorum ſpermaticorum non plus, quàm in illa, ſic dicta, gutturis, obtinet contendoque prædictum morbum non eſſe varicem, utpote in quo & venæ & arteriæ ſimul peccent & diſtendantur fiatque ex iis ſarcomatis quædam ſpecies, aliquando ab vicinis partibus ſolubilis, aliquando inſolubili, ſine laceratione, nexu, ipſis affixa.

Varix porrò ab varice non differt; niſi magnitudine, loco, tempore; quia autem primariò, hac in diſſertatione, mihi propoſui agere de varice in cruribus & artubus oriundo, relicta ulteriore cæterorum inveſtigatione & ratiocinatione, an omnis varix, methodo ab me deſcribenda, auferri poſſit? ad prædictorum varicum cauſam detegendam accedo, non facilè iis accedens, qui ab ſanguinis acredine interiorem venæ lamellam corrodi, perforari & ita varicem fieri affirmant, ſtatuens violentos artuum motus & multam mox inſequentem quietem amiſſionemque toni partis alicujus venæ, porrò venarum ultra modum compreſſiones, conſtrictiones & ſimilia, varicem producere; exemplis uti ſi liceat, ea habemus in curſoribus, onerum geſtatoribus iiſque, qui pedibus diutiùs inſiſtere coguntur iiſque, quibus pedes, aut brachia catenis vincta, uno loco, firmius comprimuntur. Exploremus nunc, an varicis curatio factu facilis, an verò difficilis? in aliquod tempus differenda, an verò acceleranda? corporis decori ſolummodò, an verò corpori omnimodo inſerviens & neceſſaria ſit?

Primæ propoſitioni favent quidam neoterici, aſſerentes, ſcilicet; *varices plus moleſtiæ adferre, quàm periculi:* porrò, *varices, nec dolorem inferre, nec vitæ impedimentum parere, nec per ſe periculum adferre; ſed eorum curationem ſaltem propter decorum, & non neceſſitatis gratiâ expeti:* item; *quoſdam vulgares Chirurgos varicum curationem aggredi reformidare; verum ad hunc eliminandum tumorem*

tumorem ea conducere, quæ ad melancholiam hypochondriacam melancholicamque insaniam consignata sunt: quinimò, varices præservare & liberare ægros ab omni morbo melancholico: hic enim morbus (varix) *præterquam quod nullo modo periculosus, corpori insuper* (sic ajunt) *utilissimus est.* Bellè, me Hercle! sed, si licet & pateris (lect. beniv.) tacebo horum auctorum nomina; ne ipsis videar gravis & ut aliàs, ineptam solummodò exercere criticam. Belle (inquam) me Hercle! quoniam ipsissimi hi scriptores, huic suæ assertioni mox subjiciunt; *ut curentur varices cautè hic procedendum; si intempestivè tollantur varices insaniam, pleuritidem, renum dolores, hæmorrhoïdum fluxum, tussim, sanguinis exputitionem, apoplexiam, cachexiam, hydropem adferunt:* porrò; *difficilem esse varicum curationem, docere cum omnibus veteribus compendiosè Forestum & varicem morbum esse contumacissimum.* Tu lector, artis chirurgicæ & simul pacis amans, dictita mihi, quæso, verba, quibus sine horum auctorum indignatione & extra odium positus, liceat dicere, eos sibi non constare, aëra verberare & verisimiliter varices veros nunquam tractitavisse.

Sed apage verba! demonstrem potius, *primò; omnem varicem curatu difficilem, secundò; ejus curationem accelerandam, tertiò; corpori toti esse necessariam;* quod si hæc probavero, habebo te (lect: beniv:) eosque scriptores mihi amicos: amant enim, ut spero, nobiscum, veritatem & ægrorum salutem.

Primò; ad primum, militant pro me ipsi illi auctores, experientia & quæ hisce prior tempore & jure est, ipsa ratio: quæ enim vis, ab inhærente sanguinis mole venæ accidit extendendæ, superat cutis resistentiam immensùm, desiccantibus adstringentibusve medicamentis; quinimò, nec ligaturis, aut pulvillis, partibus innoxiis vicinis, coercenda; quoniam venæ interque partes adjacentes molliores recedendi seseque extendendi datur opportunitas; cum itidem in varicum curatione, nunquam levi peracta, opus sit violentiore medicatione, igne, ferro; imò & hisce, in hocce morbo, nunquam aliquid boni efficiatur, patet, *varicis curationem factu esse difficilem.*

Se-

Secundò; ad ſecundum: acceleranda eſt, quæ fieri poteſt, curatio: *tempeſtivè enim ſi non tollantur varices* (teſte ipſo modò citato auctore) incurabiles proſtant; *tempeſtivè* autem ſignificat hoc loco, mox ubi erumpunt, mox ab ortu: inveterati enim multos ſecum trahunt morbos ſymptomataque varia; *acceleranda ergo eſt varicis curatio.*

Tertiò; ad tertium: Toti corpori varicum curatio neceſſaria eſt & maximè: totum enim corpus in quo varices deteguntur, periclitatur dirisque exponitur morbis (Vide ſupra eorum elenchum) varicibus verò ablatis, hic metus omnis abeſt; ergo, *varicum curatio* (totum namque ſpectat corpus) *toti corpori neceſſaria*; feſtinemus itaque eam tueamurque totum corpus contra infeſtum, toti corpori, prædictum morborum agmen.

Suppono (ut brevius rem ipſam expediam) methodos curandi varices, ab veteribus atque neotericis deſcriptas, notas eſſe nimiùm, quàm ut illæ ab me ſingulatim & quaſi ex propoſito recitentur: tentaviſſe, nempè, eos adſtringentibus remediis, ligaturis, inciſionibus, pertuſionibus, transfixionibus, extirpationibus, ferro auroque ignito, huncce ſuperare atque curare morbum, præſcriptâ inſuper conveniente diætâ, memoriæ proditum extat luculenter; quàm parum autem frugis in curando vero varice, ex hiſce mediis, hauſerint cum medentibus varicoſi, docent & dolent omnium temporum monumenta medico-chirurgica.

Sed en, Deum è machina! ſed en, qui agenti & patienti omnem adimat ſollicitudinem ac difficultatem felicemque cataſtropham huic adjiciat tragœdiæ, CAROL: MUSITANUM: is enim gloriatur de curandis varicibus *pag. 99.* His verbis: *nos expertum habemus remedium, ad varices curandos, quod nunquam nos felici defraudavit eventu, hoc eſt bryoniæ ſuccus, qui ſanguinem in gurgite ſtagnantem, fluxilem reddit, venam dilatatam corrugat, priſtinoque ſtatui reſtituit.* Miror hominis jactantiam & temerarium aſſertum, edoctus multâque experientiâ certus, iſto ſucco ecchy-

moſin

mosin maculasque quasdam cutaneas dissipari : sed varices veros hocce remedio, æque minus ac Dæmones monachorum exorcisticis imprecationibus carminibusque, aut futilibus lustrationibus expelli fugarique. Posthabitis hisce & aliis nugis relictisque in integrum aliorum tentaminibus, appendam artis trutinæ meam, non infelicem & hoc tempore inspiciendam varicis curandi methodum, de qua, ex narratione inchoata pag. 78. & jam nunc absolvenda, velim statuant renuntientque, quod ipsis videbitur æquum, medico-chirurgi. Præscripta conveniente vivendi methodo, toti genu injeci *emplastrum defens. Vigon*: sed ad modicam duritiem concoctum ; ut partes varici vicinas contra corrodentis, tumori applicandi, medicamenti vim tuerer unoque in emplastro haberem simul, ut vocant, agglutinatorium & inflammationi resistens : foramine emplastro huic inciso, ad varicis magnitudinem, ei imposui *butyro antimonii* madens carptum (plumaceolam) hujus tamen circuitum carpto, *aq. lithargyricâ* consperso, ornavi intraq: limites compescui, non neglecta ligaturæ, modicè comprimentis adhibitione.

Accedens, post aliquot horas ad ægrum, conquerentem de intolerando dolore, videbam totum apparatum multo madere sanguine, partim fluido, partim concreto solutisque ligaturis, tumorem partim crustulâ obductum, partim rimulis perscissum: ex quibus, levi digitorum compressione, quod potui, expulsi sanguinis penicilloque denuò *butyrum antimonii* iis & toti tumori inspersi, illinens lautè *ung. alb. caphur.* partibus vicinis ; ullo sine motu pedem seseque in lecto detinuit, hoc die, æger ; postero, linteamina quidem extus conspurcata, liquore sanguineo ; sed, iis resolutis, varicem incrustatum, nigricantem partesque vicinas nullo modo corrosas ipsumque ægrum doloris patientem observavi: ut ergo incepi, perrexi, usque in quintum diem, quo mihi tentaturo spatulâ escaram elevare, magna obstitit sanguinis effusio, quam tamen pulvere meo stiptico suppressi, supersedens per biduum cæteræ & omni disquisitioni ; nisi quod sensim relaxarem ligaturas. Prudenter iterum ablato apparatu, crustam

inveni duram ac nigerrimam, omni itaque molimine eam augere ſtudui & eo quidem cum ſucceſſu, ut intra decem, aut duodecim dies, pertusâ interim primo puncturis, deinde inciſionibus (ſcarificationibus dicunt) eſcarâ adhibitiſque de die in diem, ſupra memoratis mediis, conſervatis partibus vicinis, eam totam de fundo ſepararem, nullâ inſequente hæmorrhâgia; ulcere ritè purgato, id porrò inſtar plani, comprimendi & conſolidandi, tractitavi eique, conſervata genu mobilitate, tandem cicatricem probam injeci; ab quo tempore æger, doloris expers & ex hoc experimento multum ſpei concipiens, non deſiſtit me precibus efflagitationibuſque proſequi; ut cæteros varices, indies incrementum capientes, eodem modo, quo deſcriptum, amoliri, vel intra limites compeſcere, tentem: quod, ut ſupra retuli, mihi in animo eſt: auſu ergo dicam, an ſpe, ſi excidam, ſciolorum ſugillationibus non vapulabor meritò, neque temeritatis accuſabor ab artis Churigicæ peritis hujuſque hiſtoriæ æquis lectoribus, utpote, qui ſecundùm rationem & artem, proximo laboranti ſuccurrere, pro ſcopo habui unicè; dicturus, data in collegio meo opportunitate, coroſiva & eſcharotica diversè applicanda & de eorum & in ſpecie butyri Antimonii uſu & abuſu, in morbis medicamentis acrioribus chirurgicè tractandis; adhibiturus illi diſſertationi eorum varia exempla obſervationeſque multiplices.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *SEPTIMA*; DE

OCULO PURULENTO.

Ut de OCULO RURULENTO (*Hypopyo*) cujus variæ statuuntur species & denominationes, respicientes propriam, vel comparativam vocum ὑπὸ & πύον significationem, distinctè meam aperiam mentem, subjiciam primò; hunc affectum distinctum ab sic dictis suis speciebus, examini sedulo, ne cum aliis & inferius describendis ejusdem tituli morbis, ut plurimùm solet, confundatur.

OCULUS PURULENTUS est liquoris oculi lymphatici, ab causa interiore, infra membranas bulbum constituentes, in pus mutati, collectio; apparens per corneam, nunc cum magna, nunc cum parva hujus; imò & vicinarum membranarum in totum, vel ex parte, protuberantia; quæ, si pedetentim sensimque ceperit incrementum, intensi non est; si verò citò emerserit, intensissimi doloris, cui accedunt in primo casu, visus obfuscatio, in secundo, visus abolitio, externarum oculi partium inflammatio & intumescentia, quarum comites febres totaque earum molestissima & fida turba. Hic morbus curatur nunquam sine visus abolitione, ut me cum ratione docuit, mea ab multo tempore praxis & singularis hujus morbi observatio: pus etenim vulneribus partibus oculi vicinis inflictis aliisque morbis agitatis, in oculi bulbum posse effundi, verum est; non autem verum est, inde OCULUM (ad titulum) PURULENTUM confici, sed

ſed an & quousque, reſpectu viſus, hæc ſymptomata ſint curabilia? docebitur inferiùs.

Completo huic morbo, qui diſſipantibus, aut maturantibus in-vel externè adhibendis, reſiſtere mederiquè conantur, accizare & olerum additamenta apponere mihi videntur; diſſipari, aut fugari cùm pus nequeat ipſaque maturatio partibus interioribus tenerrimis devaſtationem ipſique morbo morbum ſuperaddat novum, priore nociviorem; in Chirurgiam itaque medenti ſit refugium?

Etſi verò ab multis pertundendi corneam, hoc aliiſque in caſibus habeas methodum, ſine tamen (*lect: Chirurgo-phile*) uti eam, ſecundum me, te doceam & tu videſis, eamne correxerim eique utilitatis aliquid adjecerim? vel non.

Ægro firmum occupanti ſedile, luci expoſito, faſciâ pulvilloque oculo ab morbo non infeſtato, obvelato, affecti verò bulbo, Chirurgi digitis, vel ſpeculo confirmato detentiſque ægri manibus, pertundatur tumor parte circuli iridis inferiore fiatque per adnatam ſcleroticamque ad-& per corneæ limbum apertura: Inſtrumentum, quo, ſit ſcalpellus (de alia quadam ſcalpelli figura mox) in formam roſtri paſſeris acuminatus: de internarum quippe partium conſervatione, hoc in caſu, inutilis eſt ſollicitudo, utpote jam nunc deperditarum diſpoſitione & uſu. Motu; ſed leniore, quàm eſt poſſibile, omne pus & peccans latex eliciendus eſt, quod ſanè in aperiundis omnibus tumoribus idem non obtinet. Moneo vulnus per limbum corneæ tantum eſſe infligendum & non ulteriùs eſtque mihi hujus aſſerti ſuaſorium hoc argumentum, primo; hiare hoc modo vulnus ſatis, ſecundò; pellucentiorem electro corneam, hac methodo, ab fœda liberari cicatrice & quaſdam priſtinæ diaphanitatis poſtea conſervare rereliquias: nam lens cryſtallina & ipſe liquor vitreus hoc in morbo quidem vera deſtituuntur diſpoſitione & ſic vero uſu; ſed tamen ſæpius non liqueſcunt bulbumque oculi tenent diſtentum; quod ſi verò in liquorem ſolvantur, unà cum pure per vulnus eliminari poſſunt. Medicamenta afflictæ parti abhibenda aliaque hoc thema ſpectantia, proſtant in ſequenti obſervatione.

Multos

Multos jam ab hinc ante annos, duxit me Vir quondam Consularis J. SIX, artium nobiliorum antistes, Amstelædami in fossam (vulgo) **de Geldersche Kaap** / ad œnopolam, cujus decem annorum filius ex hypopyone laborabat insigni. Ex parentum relatu accipiens, infensissimos post totius exterioris oculi dolores inflammationesque, cecidisse puerum in bulbi intumescentiam deque die in diem augmentum capientem protuberantiam, cum visus primò obfuscatione & postea abolitione, fuisse ei sectam venam, alvum solutam atque cataplasmata varia in oculum adhibita: intelligebam deinde ab Chirurgo, me monitore, advocato, ea fuisse de maturantium genere, utpote *ex radicibus liliorum*, quas, cum multis, calidas credebat, *unguento Basilic. far. lin. fruct. fic.* &c. composita; apta, nempè, nata, qui in oculo latitabat, tumorem ad maturitatem promovere. Æger qui, decimo die ante cataplasmatis hujus applicationem, acus apicem ab ejus capite discernebat, jam corneam albescentem intus, pupillæ vestigium nullum atque visus ne specimen quidem obtinebat, eminente, de ossea orbita, toto oculi bulbo & prolapsum minante horrenter: vociferante, instar furiosi, ægro, parentibus renunciavi visus conservandi, recuperandive nullam spem superesse, versari imò ægrum in vitæ discrimine; ni illicò pertunderetur oculus. Operationi obstabat Chirurgus, urgens & instans apud præsentes; esse tempori committendam aperturam, quasi tenera pars corporis, oculus, non admitteret ferrum; cui ego, egisse eum maturationem promovendo pessimè scarabeumque vocavi aquilæ obstetricantem. Consentientibus, secundo die; parentibus pertusionem, præmonui eos, esse mihi tantùm in animo, puero vitam & ejus oculo conservare formam; non verò visionis munus, ut pote desperatum; claudi quippe pal-

pebris jam nullo modo ab aliquot diebus poterat; dictum, factum, methodo quâ, monui supra: de vulnere parti inflicto ruebant mox pus, lema, limpida materia, membranularum striæ ac sanguinis aliquid. Toti injeci oculo, quod sequitur, medicamen;

> ℞. *Medullæ pomorum putresc.* ℥ij.
> *Croci Britt.* ℈j.
> *Laud. opiat. gr.* v.
> *Aq. hordei & mic. panis albi q. s. pro Cataplasmate, Inter linteamina tepidè oculo adhibendo.*

Uno hoc die ter oculum inspexi, nequaquam neglecto Cataplasmate prædicto; ter oculo leviter compresso & pure ab eo expulso omni, inspersi lactis (sic dicti) virginei tepidum cum linteis & pulvillis laticem, cujus formula hæc est;

> ℞. *Aceti acidiss. lib.* I.
> *Concoquat. cum* ℥iv. *Litharg. aur. Colat. adde*
> *Rad. Rub. Tinct.* ʒij.
> *Sacchar. Saturni* ʒj.
> *Caphuræ gr.* v.
> *Ebulliant leniter per horæ quadrantem, filtrent.*
> *Colatura conservetur in usum.*

Vesperascente, dolore sedato, altissima ægro beato quiete & iterata sæpius ea nocte medicamenti adhibitione, experiebar, in ipsius diei diluculo, rerum faciem felicissimè mutatam: continuo itaque medicationem usque ad insequentem vesperam, quâ eum, qui clamoribus contristaverat totam familiam, subrisu & blandimentis eam exhilararé totam, gaudebam. Doloris expertem ægrum oculumque ejus de horâ in horam in orbitam recedentem, cùm viderent pa-

parentes, nescio, quæ non fausta, de visus recuperatione ominabantur; omni verò expulso pure ulcerosoque consolidato vulnere, prognosin meam probavit eventus: amisso namque omni visu, oculo absuit deformitas; nisi quod per corneam subluridam interioris suppellectilis (puta) iridis quædam & ligamenti ciliaris, non verò ipsius visus, vel minimæ quidem apparerent reliquiæ. Observatum ultimò volo, hac in curatione genis excoriationem, vulneri excrescentiam ejusque labiis indurationem nullam, cicatricem insuper planè lævigatam; Chirurgo verò famæ fuisse & mansisse fœdum stigma inscitiæ & gravem imprudentiæ cicatricem.

Purulentus itaque Oculus, ut supra descriptus; etsi curetur nunquam sine visus abolitione, pertundendus tamen est tempestivè, in totius hominis & partium internarum qualemcunque conservationem: febre enim alias & vigiliis emaciantur ægri protuberante oculi bulbo & in prolapsum tendente; festinanda, inquam, pertusio & ultima mox experiri ratum; ut, omni amisso usu, ad minimùm faciei decor conservetur viteturque, quæ semper alias sequuntur, ulcera, stillicidia lacrimarum & liquorum, bulbi flaccescentia, vicinarum partium excoriatio, ex quibus omnibus dolorosa & tabifica vita tandemque mors: ut in publicano, pertusionem non permittente, cum Clariss: Chirurgo AL: CYPRIANO expertus sum *Amstelædami.*

Hoc de Oculo Purulento, cujus sub specie veniunt *primò; tumores purulenti purisque collectiones inter corneæ tunicæ lamellas: secundò; puris purulentæque materiæ collectiones ab læsis partibus vicinis*, puta inflammatis, vulneratis, ulceratis &c. multo tumentibus pure, *in oculi bulbum, temporis tractu, effusæ.*

Horum autem morborum hujusque puris in oculi bulbo collectionis diversa cum sit causa, locus, sive pars primò affecta, curatio & finis ab præfato morbo, autumo hosce morbos esse ha-

 bendos

bendos pro morbis alterius & sui generis atque hoc respectu pus in oculi bulbo collectum, non esse nisi symptoma: oportet enim ut verbis utamur intelligibilibus & res proximè designantibus; si quoque partium affectus, cum sibi vicinis partibus commercium habentes in eas ruunt & lædunt postea; verò ab primarum propriis affectibus, nomine non distinguantur, unus sine alio distinctè describi, aut percipi non poterit & ipse Delius natator ne per conjecturam quidem morbi alicujus typum, historiam, aut rei assequetur statum: ut hæc omnia explicatius edoceam, agam primò; *de tumore inter corneæ tunicæ lamellas oriundo.*

Hujus tumoris purulenti, vel saniosi descriptio traditur, ut alios taceam, confusè ab J. V. MEEKEREN: in principio enim Purulentum oculum, ut SOLINGIUS *piosin* & postea, ut ille idem HYPOPYONEM, describit; sed præstat meliora docere, quàm perperàm docta recitare & carpere.

Qui inter lamellas membranæ corneæ oritur tumor (de arteriarum, venarum nervorumque propriis tumoribus nihil commemoro) duplicis est generis; videlicet, ab effuso sanguine, vel extravasata & stagnante lympha; primus nunquam, altera semper in pus degenerat; inde primus tumor ex subrubro-livescente; secundus albescente de die in diem magis colore, dignoscitur, utroque agnoscente causam in-vel externam: puta dictorum liquidorum, ab statu naturali, mutationem, vel vasorum lacerationem, rupturam &c. uterque extus propullulans; quinimò etsi maximus, modò hujus generis tumor sit, magno sine visus detrimento, curatur; si curatio ad normam instituatur: hi, ut opinor, sunt illi oculi purulenti, quos cum PAREO & aliis, se, salva visione, curavisse neotericorum referunt quidam. Quod si tumores hi interius rumpantur contentamque materiam in oculi bulbum evomant, visum primò supprimunt, deinde vestigia suæ læsionis post se relinquunt majora, aut minora, pro materiæ copia, sanguine, nempè, aut pure eorumque tempore, ab quo fuerunt retenta in bulbo, pro symptomatibus &c.

Hoc

Hoc in affectu conveniunt mox ab initio venæsectiones, cucurbitularum impositiones earumque pertusiones, medicamenta dissipantia, alvi laxationes &c. etsi exterius emineat tumor livescatque ex albo, pro quibusdam solummodò horis, maturantia; si verò extus, intra biduum suapte distentione & vi non erumpat collectum liquidum, pus, saniesve, moneo te, Chirurgophile, properes; ne serius absolvas, ad tumoris per scalpellum apertionem; ne interiora perdantur, aut uveæ membranæ postea sequatur procidentia; cornea extus quasi illæsa; sed heus! audi, cujus oporteat sit figuræ scalpellus quaque methodo tumori intrudendus; arcum, vel hominis linguam exprimat sitque anterior pars solummodò acuta; latera verò obtusa: ita enim ulteriùs, quàm velis, non ruet; ne autem una; verùm iterata incisione, per & in eundem sulcum, tumorem perfores observesque; si possibile sit, quæ jam in OCULO PURULENTO, de eligendo loco pertusionis & eliciendo pure commendavi.

Imprudentis porrò mihi videtur, completissimam, ut ajunt, moliri & exspectare tumoris maturitatem: neque id solum hoc in tumorum; sed verò & in multorum aliorum genere vitandum, sustineo: optimo etenim cum successu tumores pertusi, præsertim urgente dolore, antequam undans me apertionem monere videretur contentus in tumore latex; ipso imò in tumore œdematoso id peragere vereor minimè; firmissimis hoc adstruerem dogma argumentis experientiaque multiplici, brevitati si non studerem, supersedeo insuper iis hoc in scripto; ut ventilationi relinquatur nascaturque opportunitas.

Quæ ex hoc tumore (curabili, nempè, sine ullo, saltem magno visus detrimento) elicitur puris quantitas, adeo exigua est; ut guttas sex, aut octo, pondusve dimidii scrupuli vix superet: quod si majore adfuerit copia, majori afficietur visio noxa. Hujus exemplum si desideres (lect: beniv:), en habe:

Juveni robustissimo ætatis XXII. ann., dolore correpto in-

fensissimo ex protuberante in punctum & albescente sub cornea distentaque adnata (re in antecessum agitata & perpensa cum Clariss. quondam Amstelædamensibus Medicis, MATTH. SLADO & SAM. APOSTOLIO) pertusi obliquè ab nasi regione, corneæ extimam partem: vulnere inflicto, mirabamur effluentis materiæ paucitatem: puris enim puri, puti arduum erat, vel unam guttulam exhibere, ei quoniam admixtus erat humor viscidus subruber ad guttas 5. aut 6. quem speravimus, obtinuimus tamen effectum, subsidente, videlicet, mox protuberantia, cedentibus medicamentis topicis anodynisque cum dolore febre vigiliisque. *albumen ovor. cum alum. crud. conquass. solut. opii & mucag. per express. coctor. flor. melilot. in aq. fænic.* in initio, nobis usui veniebant probè.

Vulnusculum per aliquot septimanas madebat, stillitante ex eo, nunc aqueo plus minusve rubro, nunc verò glutinoso liquore, donec *fotu ex vino rubr. gall. aust. & Rad. rub Tinct.* iste fluxus sisteretur tandemque ei cicatrix induceretur sequenti medicamento;

℞. *sacc: satur:* ʒß.
sief. alb: ℈j.
liq. Tartar. ℥ß. *m.*

evaderetque æger curatus perfectè.

Tumorem hunc materiæ agitatione & motu potius ejus intestino, quàm copiâ, dolorem hunc gravem excitavisse, pro explorato habuimus omnes: paucis quippe diebus ortum & complementum acceperat.

Etsi porrò, secundùm quosdam, HYDROPHTALMIA, HYPOSPHAGMA eorumque symptomata; quinimò TUNICÆ CORNEÆ LIVESCENTIA TURBIDULA, species OCULI PURULENTI dicantur, ab eorum tamen descriptione me abstinebo, egredi ne, quos mihi pro-

proposui terminos, videar. Cùm autem SUGILLATIO (meritò verumtamen echymosi adnumeranda) unà cum adjacentibus ipsam sæpèsæpius infestet corneam, ejus curandi brevem methodum huic annectere dissertationi utile erit facietque ad propositum meum aliquid; utpote in cujus festinatione, quemadmodum in OCULO PURULENTO, omnis situs est curationis successus.

SUGILLATIONI, livedini ab exteriore percussione oculo suborienti, præscribenda adhibendaque actutum sunt remedia: hoc enim ni fiat; coagulante, nempè, sanguine & liquoribus extravasatis, compressis, contusis, collapsis, frigescentibusque vasis vix postea resolvendis, restaurandis, fœda usque in ultimum quandoque vitæ terminum, nigredine partes consperguntur exteriores ipsaque visus acies, non sine totius visus periculo, obtunditur: quid in hoc morbo præstandum Medico Chirurgo collige (Lect: Beniv:) ex sequenti narratione.

In prædio *Loënsi* ab regio ostiario, mensarum præfecto, pugno percussus, illicò intumescebat, oculus, laborans brevi ex SUGILLATIONE ingenti: postero die (ita enim solet inter aulicos) lautissimo prostans æger cachinnantibus argumento: præ cæteris enim hic morbus cum infortunio homines ridiculos facit & contumeliis exponit, deserebatur ab ipsis Chirurgis, qui potius hoc malum riderent, quàm ei medicarentur: coactus porrò fœdissimum coram Rege abscondere vultum & aliis se ulterius obtrudere aversans, ibat ad me, qui, quod sequitur, ei præparabam medicamentum;

℞. *Rad: ir: flor: recent:* ℥iij.
cepar: contus: ℈j.
f. in lint: nod: 4. *injiciendi & macerandi in spir: vin: & ad partem affect: sæpèsæpius adhibendi calidè.*

eſt & aliud epith. cujus virtutem non ſemel expertus ſum hoc in morbo.

℞. *ſterc: columb: contriti in pulv:* ℥ij.
croc: Britt: ℈j.
ſal: volat: gutt: vi.
F. ut ſupra, noduli.

Qui poſt aures *cantharides*, aut aliud veſicantium genus nuchæ injecerit, vitium omiſſionis facile fugerit.

Primo hocce remedio intra biduum oculo totique faciei (ipſæ etenim genæ cum palpebris ad nigredinem liveſcebant) colorem reſtitui naturalem, eum quidem in modum; ut vel petulantiſſimus pediſſequorum, quod rideret, non inveniret.

Cruſtâ tegi occultarique *cerusſâ*, *cretâ*, *bolo* & *albumine ovi* poſſe SUGILLATIONEM, lippis totamque faciem colore hoc modo mutari ab naturali, comicorum principi jam olim notiſſimum novimus. *ſalis volatilis, cum ſpiritu vini mixti penicilloque ſugillationi tenuiter inſperſi*, ſtupendum planè effectum atque ſucceſſum expertus nuperrimè eſt juvenis fuſtibus peſſimè exceptus & ante aliquot annos, amici alicujus mei, ex equo lapſus, ſtabularius.

Quod ſi mox ab principio ſugillationi non occuratur, ipſius curatio quandoque eſt difficillima; ut meo periculo didici in homine Baccho pleno, cui genæ, buccæ, verbo, tota ferè facies inflata nigreſcebat: dormiverat enim ea nocte, quâ ceciderat, aut alio forſitan infortunio malè eſſet exceptus, in platea; tertio die ad eum vocatus, videbam hominem febre correptum trementemque ſpaſmodica agitatione, toto corpore; venam itaque ſecandam judicavi; poſtea levi adhibito ſudorifero ſequens toti faciei injeci fomentum.

℞. Herb.

℞. *Herb. bismalv. m.* ij.
flor. melilot. m. j.
sem. fœnic. ℨß.
incid. concoq. in lacte dulci, exprim. applic. cum panno molliore, cavendo, ne post crebram applicationem, partes frigescant.

Repetito sæpius hocce medicamento & depulsa ex parte nigredine; corrugatis verò hic & alibi, cum palpebris genis, inspersi eis, quod in fine hujus dissertationis extat *ex liquore tartari* &c. medicamentum: hisce etsi de tempore in tempus faciei reveniret color ex luteo albus; naturalis tamen in integrum restitutus est nunquam; relictis cuti ex sugillatione multis maculis istoque colore, quo Javani tinguntur: in curanda sugillatione itaque actutum ad omnia simul accurendum; excipio autem applicationes viventium dissectarum columbarum & similium animalium, in nucham, quas ullo sine commodo, adstipulatione & commendatione potiùs quorundam scriptorum, quàm secundùm rationem & experientiam, fieri sustineo. De dolorem sedantium familia *lac muliebre, opium in aq. fœnic. dissol. mucilag. seminum cydon. psylli, portulac.* rejicienda sunt minimè: suffitu & vapore herbarum fragrantium & sale refertarum volatili, dissipari concretos cum sanguine humores dissolvique in faciei superficie in sudores & liquamina, hausto interea *Theæ*, vel ejusdem virtutis potione, compertissimum est, internè adhibenda remedia de leniter sudorem promoventium & malacticorum oportet sint classe; constipata si ægro alvus, hoc modo purganda: plura ad hanc normam præscribi etsi possint; te autem (lect. beniv.) multorum remediorum farragine non obrutum; sed verò, selectis quibusdam, instructum volui, externè olea unguentaque pinguiaque, de cœtu remediorum, hoc in affectu, rejicienda, dictum est dudum.

Faciei ultimò decori, qui post curatam sugillationem studeat (& studeat oportet) inspiciat discatque ex Clar. WEKKERI *Antidotar. general. titul. de unguent. faciem ornantib.* varias in hunc scopum collineantes præscriptiones.

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM OCTAVA; DE EXCRESCENTIA, Fœminæ derepentè inguini oborta.

Dixi nuper, me in pertractandis hisce exercitationibus moliturum, morbos, de quibus in iis agitur, examinandos artis Chirurgicæ peritis sistere: hoc enim modo differendo & agendo, minor erit verborum & cavillationum strepitus; minor invidis & maleferiatis opportunitas absentis rodendi famam (quoniam *omni medico & chirurgo casus inspiciendi & animi sensa proponendi, hocce in Collegio, facta est integerrima potestas*) minor de lucro comparando suspicio; sed verò major, vocatis in consilium viris honestis & doctis, dubio eventui securitas; major tyronibus utilitas; major denique probis mecum miseris opitulandi stimulus: en igitur (lect: ben:) Rhodus & saltus, en casus stupendus initio & fine.

Anno hocce MDCCIII. ipsis Kal: Aprilis, duxit ad me, WILHELMUS BEAUDOUX, *Warmondæ* Chirurgiam exercens, MARRYTJE KORSZEN, ætat. XLVII. viduam, quinquies prole beatam & quidem vice ultima A°. MDCC. Novemb. VII^{mo}. ab sex jam nunc annis, in inguine sinistro, gestantem cuti concolorem, doloris omnis

omnis expertem, in principio pisi; temporis verò tractu minoris castaneæ magnitudinis tumorem subdurum, circa mensis hujus anni Martii initium valdè extuberantem (ad ovi ferè dimensionem enim jam pervenerat) & continuò incrementum capientem: ad hujus inspectionem XIX. ejusdem mensis, prædictus BEAUDOUX vocatus, audita relatione, accrescere, nempè, hunc tumorem immensùm, quotidiè sanguinem emittere aliquando ad quatuor, aut quinque libras, rei mirabatur statum eumque, post octiduum: rustica, pauper enim & ultra duo milliaria ab eo vivebat remota, præscriptis quibusdam stipticis ligaturaque comprimente, iterum vocatus, horrebat: ea enim brevissima dierum intercapedine hunc tumorem ferè rotundum 5. pollicum diametri & 8. longitudinis experiebatur; ego, elapso triduo, perlustrato eocum hocce casu, eocum eum sanè horrui, stupui maximique momenti & periculi renuntiavi; cùm autem hic Chirurgus solus & ægræ plures huic visitationi interessent consanguinei, iis, quantùm potui, persuasi, consulerent & alios hoc de negotio Medicos & Chirurgos statuerentque: in mora enim periculum monebam, de rebus peragendis, quantocyùs.

3tiò; Apr. denuò cum Chir. ALDERKERK & BEAUDOUX, rem examini subjeci observavique tumorem ad oculum quasi continuò augeri, nigredine conspergi, fœtore & putredine superficiali corrumpi; inquisivi sedulò in omnes mali hujus circumstantias, quo, videlicet, modo & pedunculo inguini adhæreret? quo esset de genere tumorum & sic porrò; brevi, convenimus sequente die horâ matutinâ septimâ, Chirurgi TORRENIUS, CONTENOT, ALDERKERK, VAN LOO, BEAUDOUX & quidam Med. Studiosi; quibus coram mentem meam de hacce excrescentia

& methodo, quâ, secundum me, curari, aut saltem tractari posset, explicui: esse, nempè, distentionem, excrescentiam glandulæ cujusdam inguinalis, lato quidem pedunculo inguini inhærentem; sed tamen ad ejus interiora non pergentem; vicinas quidem partes tegentem, iis tamen (puta meatui urinario & aliis) non affixam: de causa, ut vocant, proxima, citissimam, post tot elapsos annos derepente hanc promovente extuberantiam, opinatus sum; glandulam hanc inguinalem, obstructâ arteriâ, primò induruisse & mansisse eo in statu, usque dum magno accedente motu impetuque sanguinis, obstructio illa resolveretur, pertunderetur extensaque protensaque propagataque arteriarum glomeratione, brevi extrueretur, quam videbamus; excrescentia: posse verò hoc modo paucorum dierum spatio formari magnum tumorem liquidò demonstravi & exemplis de bubone pestilentiali, de fungo & similibus, desumtis, illustravi; huic sermoni alia adjeci egique de methodo agendi in hunc tumorem; eum, videlicet, tutò non posse auferri escaroticis, inustione, neque incisione; sed verò in constrictionem omnem esse collocandam spem: hæc & plura hunc casum in genere & specie spectantia, leguntur explicatius inferius.

Prædictis ergo viris mecum sentientibus mihique auxiliatrices præbentibus manus, injeci elevatæ undique & annulo ferreo plicabilique coarctatæ & ab abdomine, quantum fieri potuit, avulsæ excrescentiæ decussatim duo, cerâ oblinitâ, vincula linea (sericis enim potuisset forte perscindi cutis nimium citò) horum finibus adaptavi in utraque inguinis parte, ex levi ligno torcularium, cujus cochleæ manubriolum apponi curaveram; ut, pro re nata, versatili hocce instrumento, ad abdominis & inguinis figuram formato, ex-

crescen-

crescentiæ pedunculus arctari, aut laxari posset ad nutum.

Hocce die, suffulta, ab omni parte, pulvillis (compressulis) excrescentia, de hora in horam constringebatur, usque dum, ex dolore, judicaremus esse ab ulteriore coarctatione abstinendum.

5tò; Mane experiebar, omnia pro tempore meaque intentione sese habere benè ægramque & alvum & vesicam sine molestia exoneravisse; strictius ergo ligavi molem; vesperi autem, ne forsan inflammatione, aut gangrænâ partes vicinæ infestarentur, fœtor, planè cadaverosus, abigeretur ipsaque excrescentia desiccaretur, abdomini, addito spiritu vini, femoribus verò ipsique tumori simpliciter sequens, corroborans dicunt & desiccans, inspersi fomentum:

℞. Herb. absinth. M. iij.
Scord. M. ij. *majoran. M.* j.
Rad. polypod. ℥ß. *spic. nard.* ʒij.
flor. Rosar. Rubr. M. jß.
incid. coq. in vino Rhenan. aut Gall. generos; col. serv. in usum.

6tò; Inspexit mecum & Chirurgis ALDERKERK & BEAUDOUX (iis enim usus sum ex munere) negotium nostrum Clariss. Medicus H. OOSTERDYK SCHACHT renuntiavitque, perlustratis discussisque omnibus ad rem facientibus; ab me agi secundum artem exitumque mecum dubium; sed verò hac una methodo premendum urgendumque, statuit.

7mò; vidi excrescentiam putredine corruptam, gravi magnoque cum fœtore nigrescentem; dormiverat autem ægra satis benè constrinxique iterum vincula firmiter.

8vò; Accipiebam, ægram, præ dolore, hac nocte fuisse inquietam, insomnem, alvum non deposuisse; vesicam verò sæpèsæpius; sed tamen sine molesto dolore, pulsu itidem genarumque rubedine febrem denotantibus, injici ano curavi *suppositorium*, quod circa meridiem intentioni meæ satisfecit: sitibundæ quidem aliquid potionis præscribere volui; verùm illa ad medicamentorum titulum, eam testata est ab iis aversionem; ut potius iis supersedere, quàm ea, hac hora, urgere, ratum duxerim.

9nò; Iterum omnia è voto succedebant, utente alimentis, non sine appetitu & hilaritate, ægrâ observavique circa vincula pus cutimque perscissam; ulceri itaque huic, *ung. digest.* calidè applicari curavi.

xmò; Dormiverat in utramque aurem patiens tota ferè nocte: hoc die abstuli excrescentiæ flaccidam luridoque-nigerrimam insignem partem.

xımò; Nobiscum convenerunt Chirurgi TORRENIUS & LE MAIR tentavique vincula constringendo, totam avellere de corpore fœtentem molem; sed stillitantibus quibusdam sanguiferis vasculis puri puti sanguinis aliquot guttulas, me ab hoc proposito abstinui constituique; ut ab initio, prudentiæ & tempori rem committendam totam.

xıımò; & xıııtiò; — Ægra & omnia sese habebant ad normam artis nascebaturque mihi jam nunc boni eventus firmior spes; affirmavi & non vanus vates prædixi, nos in portu navigare.

xıvtò; Vidit mecum Doctiss: Medicus, W. MYLIUS, quem

quem habuisse discipulum gaudeo & Chirurg: ELLINKHUYZEN, totum ad vincula circulum, ulcere circumscriptum puro abdomenque, femoraque ab naturali dispositione, nullo modo, mutata.

xivto; Et ita duodecimo, ab injectis Vinculis, die, (me absente) solvens, cum fascia, apparatum, Chirurgus ALDERKERK, unà totum vidit solutam de inguine excrescentiam inguinique ne vel minimum quid ejus restitare, aut sanguinis effusum; ulceri itaque detergens, *mixtum* vocant, adhibuit *unguentum*. Vesperi (fateor summa cum voluptate) ægram lætitiâ exultantem remque ipsam in vado comperi.

Constitueram, postero die, in avulsam hanc molem anatomicum instituere examen; sed tantus ei erat fœtor, quantus, ne per minimam quidem horæ partem ab naribus sustineretur: quod tamen observare potui, est, massam hanc glandoso-carneam, uno constitisse corpore, ejus excepta parte pudendæ proxima: hæc enim sulco distincta singularique circumscriptione notata videbatur; hinc statui unam majorem, duas porrò, aut tres & quidem temporis interventu, hocce morbo fuisse infestatas glandulas; duæ tamen minores, versus ilia & naturaliter constitutæ adhucdum inveniuntur.

xvito; } Eousque ulcus depuratum obser-
xviimo; } vavi; ut,

xviiivo; Misera nuper, plenissima nunc fruens valetudine ad consanguineos suos, in pago VOORHOUT degentes, abierit: ulcus autem cicatrice obducendum, Chir: BEAUDOUX, utpote huic loco proximiori, tradi-

de-

derimus quodque eo cum ſucceſſu peregit; ut XXV. maxima parte & 3tio; M. Hujus Maji, illud in totum conſolidatum invenerimus, adjecto ſolummodò inguini puro, cum faſcia, carpto.

De faſciis ab me uſurpatis nihil commemoro: ſuſpenſoriæ enim in initio & retinentes apparatum poſtea fuerunt tantùm.

Obſervatum autem volo, ægram medicamentorum, ne vel unum unicum aſſumpſiſſe, per os, granum.

Habes (Lect: Beniv:) rei feliciter peractæ hiſtoriam; quæ autem (ut ſupra monui) cum Chirurgis & ſtudioſis medicinæ in anteceſſum communicavi, duo erant, nempè, cogitata mea de hocce morborum genere & methodo illud tractandi; profeſſus, me ſtatuere, tria dari carnearum excreſcentiarum genera darique, hoc ex ſyſtemate, tria carnis genera, muſculoſum, glandoſum & ſpecificum; ſive fibroſum, vaſculoſum, lamellatum.

In muſculoſo obtinere verum SARCOMA, aſſurgens una & æquali ſuperficie, cujus margo, temporis tractu incurvatur, circumvolvitur, invertitur & tandem oculum latet: in eo curando probè uſui venire cauterium (quod vocant) actuale; potentiale verò minimè: abſciſſione porrò, inciſione, neque ligaturâ hocce poſſe extirpari malum, affirmavi; niſi (quod in extirpatione mamellæ feci ſæpius, ejus pedunculus unà & ſimul, cum parte muſculi, ex quo ortum duxit, abſcindatur: hoc autem quàm quibuſdam locis factu ſit difficile, pronuntient veri Chirurgi; addidi, inciſione hoc modo non inſtituta, SARCOMA citius violentiuſque excreſcere & propullulare; inſuper vinculo, ligaturâ, non poſſe auferri, cum infra excreſcentiæ Principium, injici tumorique illa adhiberi nequeat.

Glandularum carnearum ſyſtematis excreſcentias duplicis pronuntiavi generis; conglobatarum, nempè, una mole & circuitione; conglomeratarum verò variis ſulcis, protuberantiis fiſſuriſque diviſa, erumpere.

Ad

Ad hasce auferendas, rejecto utroque cauterio, commendavi cultrum (incisionem) & ligaturam, usus exemplo abscissionis mammarum, glandularum tum axillarum, tum inguinum, uvulæ &c.

Contra hanc doctrinam, ex Chirurgis quidam movit dubia & fortiter & amiciter; contendens, escaroticis glandulas carneas scirrho; imò exulcerato & carcinomate infectas, mammam, papillam, uvulam, &c. posse curari; cui ego, me nunquam; nisi in principio morbi & una, aut altera, tantùm, glandula laborante, cum optando eventu, illud tentavisse, aut ab aliis tentatum vidisse demonstravique eandem illam curationem tutius & citius incisione & ligaturâ potuisse fieri & escarotica post infelicem harum partium incisionem, scirrho non probè extirpato & repullulante &c. solummodò locum obtinere; retuli porrò me cum famigeratiss: medic: Chirurg: (sit lect: ben: huic digressioni venia) Burcinac: &c. dynast: ad extirpanda prædicta mala utplurimùm escaroticis nunc exterius ad extruendam crenam, ferrum postea excipientem, nunc interius & ad finem usque utente, hoc de lemmate, quondam seruisse sermones, postquam mamellæ scirrhosæ extirpationi, ab me incisione peractæ clanculum & nisi post actum facietenus notus interfuisset meque eò eum, pro mea causa dicendo, duxisse & pressisse angustiarum, ut pro omni argumento solummodò diceret; *age tu pro consuetudine & methodo tuâ; ego tamen meam excolam*; quærens tandem omne effugium in aquam suam quam (leschof brandstillend water) dolores & inflammationes sistentem appellabat, asseverans hocce suo Arcano, escarotici sui etiam Arcani sævitiem ad lubitum posse moderari, frænari & cum tempore hoc modo, sine dolore, aut hæmorrhaga, scirrhos cancrosque curari; cum autem postea hæc aqua causticumque hoc Orbi innotuerunt, compertum est, fuisse lac quoddam (ut ajunt) *virginis*, cujus formula satis jam est cognita & *mercur: sublim: corrosiv:* sed quâdam larvatus massâ gypseâ: quapropter multi mecum sunt suspicati, cum terribili sub titulo cancri leviores glandularum indurationes &c. (nam de ulceroso carcinomate, ne unum quidem exhibuit exemplum) hoc remedio excepisse & curavisse.

Quàm malè escaroticis; præsertim ol: vitriol: uvula, torsillæ &c. & quàm probè ligaturâ & incisione excrescentes auferantur; primum matrona nobilis hac in civitate experta, adhucdum dolet & secundum; *Hagæ comitum* Juvencula quædam lætatur,

Tertium carnis genus, quod constituit glandem penis, gingivas, &c. cum frequentissima; imò ab nativitate hominis habeat excrescentias, docui, pro opportunitate escaroticis, ignito ferro, incisione, ligaturâ, verbo, vario modo, posse deprimi, coërceri, auferri.

De fungo (excrescentia subitanea in corpore animalis, alio nomine aliquando hypersarcosi) Sustinui, esse ex arteriis læsis, aut ad earum extremitates, tono perditis, succi nutritii profluvium, cujus prima guttula tubulo arterioso adhærens, sequente alia, protruditur; sed tamen huic adaptata atque cum ea, vivificante subtiliore succi nutritii portione dotata, vivit & hoc modo insequente una effusione succi nutritii alteram, porrò fieri hanc excrescentiæ Pseudocarneæ speciem.

Pro ulteriore meæ hujus opinionis astructione, duxi in medium omnia illa phænomena, quæ in FUNGO prostant quibusque ille ab SARCOMATE, GLANDOSIS & TERTII GENERIS CARNEIS EXCRESCENTIIS, distinguitur, ut; initio digito, linteo, carpto &c. posse abstergi, removeri instar glutinis; albescere; quinimò etsi tractu temporis subrubrum, vel lividum obtinuerit colorem, induruerit variisque ab latere, ornatus fuerit sanguiferis; eum tamen fibris nunquam instructum carneis, vasis ab ortu, aut lamellis apparere: inde collegi fungos, mox desiccantibus & comprimente ligatura; postea verò vinculo (intellige simul ligato fonte, arteriâ) aut actuali cauterio debere auferri: de abscissione docui eam, minimè convenire, utpote quâ morbus potius augeretur, quàm corrigeretur: de escaroticis itidem, hoc in symptomate omne conamen esse irritum; nam unâ confectâ escarâ eâque separatâ, secundâ opus est; propullulante interea de fonte, fungi materia & alimento: videntur mihi cum Sisypho saxum volvere, qui hoc opus aggrediuntur: problemati huic, assentiri nemo negabit, qui ab ulceribus, dictis hypersarcotico-impuris, ab

mola

mola &c. fungositatis & citissimæ excrescentiæ probam petiit fungi & aliarum excrescentiarum comparationem: quæ enim materia, fluidum quod, ulceri huic, de hora in horam ex imo adfluit eique adhæret, dicitur quidem (sed falsò) caro; sed verò nec genere, nec specie est: nullæ etenim carneæ, hacce in pseudosarcosi, deteguntur striæ: verum quidem est, ulcere neglecto ac diutius sordescente gluten hoc duritie & colore quodammodò carnem, potiùs spuriam, carni similem massam fingere; sed tamen ritè examinatum, nihil minus, quàm carnis vestigia relinquere inspicienda; sic de mola, polypo & aliis.

Fungositatem hanc, ut curetur, usque ad ipsa ossa, cum quibus, utplurimùm, ei commercium est, debere abstergi scalproque abradi ipsa ossa & in totum crudescere, notissimum novimus: hujus generis ulcus, ante aliquot menses, in hujus civitatis nosocomio studiosis considerandum proposui.

De glandulis vesicularibus nihil memoravi; etsi sui generis potuberantias excrescentiasque patiantur frequentiores: de carneis quoniam excrescentiis agere, pro scopo, hac in dissertatione habui tantùm.

De excrescentiis cutaneis censui, eas esse de glandoso-carneo genere atque proinde eodem modo, cum iis hujus generis; quamvis in aliis corporis locis, tractitandas extare: de VERRUCIS tamen aliisque quibusdam cutaneis tuberculis, cum diversa, ab communi, mea sit opinio atque illa meum hoc thema directè spectare non videantur, disseram brevì ex professo.

Restat (Lect: Beniv:) ut enarrem, quid me moverit, quare vinculo, non verò alia methodo, hanc excrescentiam auferre constitui.

Primò; cauterio actuali posse desiccari, perurive eam, salvo, cum inguine, abdomine, nostrum nemo, vel proposuit: nota nempè, nimium imi ventris tenera tendinosaque dispositione, quàm ut rudiori huic exponi posset medicationi.

2dò; Quare escaroticis uti ratum non videbatur, ratio non erat una; sed multiplex. 1mò; major erat excrescentia, quàm ut iis consumi, sive in totum necari posset, priusquam ex ipsa hac me-

 thodo

thodo toti corpori noxa induceretur & vitæ periculum. 3tiò; accrescente indies tumore observabam eum jam multo latice & sanguine hìc & illic madere, quapropter de escaroticorum vi, hoc in casu, nulla mihi erat expectatio; adde 4tò; quæ supra circa fungi curationem dixi de extruendis & solvendis continuò escharis.

5tò; Cultro, incisione sanè ad excrescentiam nullus patebat tutò aditus; basis item excrescentiæ latior erat firmiùsque inguinis cavitati inhærens, quàm ut incisione posset extirpari; huic rationi adjice instantis hæmorrhagiæ periculum vestigiaque ejus, supra memorata, me terrentia; vinculo itaque descripto, Deo adjuvante, opus hocce magnum peregi tutò, citò & jucundè.

Ultimò; ut probem, me verbis non inhærere & suum Antiquitati semper tribuere honorem, concedo facile SARCOMA esse horum morborum quasi genus; cæteras verò carneas excrescentias, ejus species, aut classes: modò meam de curatione doctrinam & agendi methodum approbaverit peritorum calculus.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM NONA; DE VERRUCIS.

Morbos quosdam, si eorum definitiones descriptionesque examinemus, nomine inter sese; non verò re & vice versa convenire, docet VERRUCA, utpote, cujus sub titulo, diversissimos ab ea, tumores morbosque recensent auctores.

Sive itaque VERRUCA ab eminente de monte loco nomen habeat comparativè, sive aliis rebus, puta vestium cuidam generi, vel incultis hominibus, ex sua similitudine, nomen dederit, id ipsum nomen VERRUCAM non exprimere, constabit ubertim: datur enim VERRUCA (taceo alias) plana, lævigata, glabra, clavum mentiens; ut inter digitos, in vola manus, planta pedis aliisque in corporis partibus, videre est; sed missa faciamus nomina comparationesque, videlicet, claudicantes omnes videamusque potius, quid, in hoc usque tempus, hocce de tumore ejusque essentia, renuntiatum sit ab medico-chirurgis & an parte affecta, non cognita, ejus curatio rationi potuerit esse conveniens?

Ut singulorum auctorum nomina non commemorem, hic VERRUCAM definit; *excrescentiam carneam, fungosam, vel sylvestrem, sensu expertem, cuti concolorem*; statuens ejus causam, *crassiorem sanguineam materiam, quam robustior calor de toto latice*

ſanguineo ſeparavit: ille, *melancholicos*, *terreſtres* & *phlegmaticos* inculcat *humores:* neque deſunt, qui VERRUCAM *ex ſucco verè alimentitio; ſed vitioſo, poris cutaneis infarcto & tandem propullulante extra ſolidas fibras, ortum ducere contendunt:* ſunt & qui *eam ab externis injuriis, puta vermibus, araneis, fimo, ſale leniter corroſivo &c. poros cutis intrantibus ſuccumque naturalem vitiantibus* generari & germinare ſuſtinent.

Hæc ut figmenta (eſſe namque figmenta demonſtrare mox conabor) exornent ſuaſque tegant hallucinationes, confundunt cum VERRUCA varias excreſcentias carneas tumoreſque fungoſque varios; exempl: gr: Thymum, Sycoſin & alios, de quibus latiùs infra.

VERRUCAM, non quod ab auctoribus eſt dictum; ſed verò eſſe papillarum nervearum cutanearum excreſcentiam, oculo apparebit, inſpicienti eam, armato, diſtinctè; ad oculum autem hæc cum poſſit demonſtrari veritas, ab ea omne abſcindo inutile verborum plurium ſyrma;

Quia verò haſce inter papillas cumque iis aliquando glandulæ, protuberant luxuriantque cutaneæ; variæ conſpiciuntur quaſi VERRUCARUM ſpecies; cum ipſe tamen morbus ſolummodò in prædictas papillas vim exerceat ſuam & VERRUCA, propriè loquendo, carnea, vel glanduloſa ſit nulla eoque in caſu mixtum quoddam extruatur excreſcentiæ genus.

VERRUCARUM varietates in magnitudine, colore, figurâ &c. quærere, laboris videtur infructuoſi; quoniam hæ & ſimiles varietates, differentiæ & diſtinctiones ipſam morbi eſſentiam non variant atque pro tempore mutantur; pro loco tamen atque proinde reſpectu methodi medicandi, VERRUCAS differre inter ſeſe, docebitur inferiùs:

Orbicularis itaque, vel ſeſſilis ſit, lato, vel tereti pedunculo inhærens, aſperitatibus una, vel pluribus, magnis, vel parvis VERRUCA aſſurgat, vel multa preſſione, vel crebra frictione obtundatur, modo una, vel plures papillæ nerveæ cutaneæ cuticulam perforando ultra ſuos limites extuberant, VERRUCAM conſtituunt.

Glan-

Glandulæ quoque cutaneæ; etsi non rarò protuberent, aliud tamen excrescentiæ genus (ut statim innui) efformant, abeuntes in callosam duritiem nunquam.

Qui porrò clavum, spinam cutaneam, vel nerveæ tunicæ callum VERRUCAM nuncupant, vel ad ejus speciem revocant, non magis eam habent perspectam, quàm qui eam schirrhum pronuntiant.

Colligi ex hisce poterit facile, acrochordonis & myrmeciæ nomen ejusque morbi essentiam, cum ea VERRUCÆ nequaquam convenire; Morum itidem, Cristam, Ficum, Mariscam & inprimis Condyloma, ad carneum suum luxurians genus esse referenda patentque harum excrescentiarum differentiæ inter sese, ut & cum VERRUCA, tum ex iis, quæ in PRÆCEDENTI EXERCITATIONE statuimus, tum ex ipsa VERRUCÆ descriptione.

Verumeninverò, tametsi in partibus pudendis quoque VERRUCA quandoque assurgat, illi sanè cum spurcissimis & ex mala Venere ortum ducentibus excrescentiis, dictis (præter nomen) VERRUCIS, commune est nihil:

Nam *PRIMò*; fœdæ istæ & obscœnæ, tumentes citò, excrescentiæ madent mox ab earum exortu fœtentque deinde horrenter; VERRUCA non.

SECUNDò; putidæ hæ protuberantiæ mittunt suo de corpore continuò sanguinem; VERRUCA nunquam & quod sanguinis circa, vel de VERRUCA fluere aliquando obobservatur, non de VERRUCA; sed verò partibus ei vicinis læsis, vel eâ ipsâ ultra & per basin lacerata, hauritur.

TERTIò; turpes hæ excrescentiæ de die in diem, medicamentis sedulò non adhibitis, de malis abeunt in pessima semper; VERRUCA verò sæpissimè, nullo adhibito medicamine; quinimò, ulla sine cicatrice, curatur.

QUARTò; prædicti tumores gangrænâ & Sphacelo, sive putredine corripiuntur pro parte, aut toti facilè; indurantur

tur verò nunquam ; VERRUCA è contrario prioribus ſymptomatibus nunquam, poſteriori, imò & incurabiliter, exponitur ſemper.

QUINTò; ſchirrhoſa VERRUCA extitit nunquam, utpote quæ in glandularum carnearum, vel veſicularium neutro verſatur ſyſtemate atque ſchirrhus aliis in partibus fieri nequit.

Operæpretium non videtur (*Lect: Beniv:*) te moneam demonſtremque in palpebris grandinum & mixtum hordeolorum genus; quinimò, veſiculas lapidosâ materiâ turgentes cuticulæque aſſurgentis induratas ſqammulas, ab quibuſdam; ſed & imperiti, pro VERRUCIS haberi; cum hi tumores & protuberantiæ diſtinctu, viro medico-chirurgo, ſatis ſint faciles.

Quod tamen tecum (*Lect: Beniv:*) DE VERRUCIS, priuſquam earum curationem deſcribere aggrediar, communicandum habeo, eſt;

PRIMÒ; me, ex multa obſervatione Anatomica practicaque mea Chirurgica, compertum habere, juniores homines, præſertim pueros, hocce malo; ſenio verò confectos, nunquam vexari.

2dò; VERRUCAS dolorificas & contagioſas eſſe ramoſas eaſque non ſolum ſuperiùs; ſed & inferiùs; imò, uſque in ipſam membranam muſculorum communem, extendi.

3tiò; VERRUCAS omnes hiemali felicius, quàm ulla alia anni tempeſtate, curari.

Ne autem hæc à poſteriore ſolummodò longaque praxi tandem & tantum poſſe comperiri videantur, adjiciam hiſce aſſertis, mea in ſingula hæc obſervata, cogitata & rationes, quæ, quod ſuppono, docere & adſtruere, quoque à priori, videntur pleniſſimè.

AD PRIM: cum VERRUCA ſit morbus, ſive excreſcentia nerveæ molis, vel nervearum papillarum cutanearum (quod ad oculum eſt demonſtrabile) mirum non eſt, in pueris juvenibuſque (lauta quibus largaque ſucci nervum concomitantis eſt copia

nervi-

nervique ipſi ſunt molliores) eſſe luxuriare; in ſenibus verò, quibus nervi hocce liquido deſtituti, rigent, non oboriri & inveniri.

AD SECUND: illæ etenim parti infiguntur admodum ſenſili, unde motæ, quod cum cute ferè continuò fit, doleant, oportet maximè; adde ad earum circumferentiam liquidi, ab ſtagnatione, acrioris quid, vicinis, aut plurimum tum, ſtillitare de partibus inflammatis: pono itaque VERRUCARUM contagium non tam in ipſas VERRUCAS, quàm partes iis vicinas læſas & jam nunc, ab aliquo tempore, ichoroſâ materiâ obſeſſas hancque ad VERRUCÆ margines & fiſſuras eructantes exhalationeſque ſuas ejicientes: hac ratione ſequitur (vide ARTIC:

TERTIUM) hiemali faciliùs, quàm quavis alia anni tempeſtate VERRUCAS extare curabiles: omne enim contagium, luis Venereæ, peſtis, ſcabiei, verbo, omnes conſpurcationes infectioneſque calore & ſub jove calido, vehementiùs, quàm è contrariò promoveri, graſſari & diſpergi de vivente in viventem, (ſuperſedeo rebus inanimatis) inficias credo ibit nemo, ad quod accedit; curationem VERRUCARUM fieri palliativè, induratione, abſolutè, exſiccatione, quâ decidunt; utrùm autem hoc medicamentis, an verò manuali operatione fiat tutiùs, citiùs, jucundiùs, indagare & exponere tentabo dilucidè.

Etſi remedia, quæ in genere, ad curandas VERRUCAS, in ſpecie quoque ad eas palpebrarum tollendas, adhibenda videantur: monitos tamen Chirurgophilos volo; ne hoc, axiomatis inſtar, accipiant, ſtatuantve: auferuntur enim VERRUCÆ & ut volunt auctorum præſcripta, ſecundum artem, medicamentis corrodentibus; ut *Spir. merc. alb. auripigment. turpith. mineral. merc. Præcipit. ol. Sulph. par camp. ol. vitriol. butyr. antim. arſenic. lapid. infernal. aq. fort. &c.* Quid autem ego (ſalvo experientiore judicio) hiſce de remediis in genere & ſpecie ſentiam & experimentis variis didicerim, videbis (*lect: beniv:*) ſtatim; tu autem quiſquis es, cave; ne hæc palpebrarum VERRUCIS injicias unquam: teneræ quippe hæ & continuò movendæ partes, leviſſima etiam acrium & corrodentium medicaminum, prudenti licet adhibitione,

perſo-

perforantur constantque sæpius ægris visus partiumque nobiliorum jacturâ: huc itaque spectat, quod in antecessum, de differentia loci VERRUCÆ, indigitavi: quamvis etenim medicamentis corrodentibus forsitan (de quo tamen dubito) ablata de palpebra, sine magno vicinarum partium damno & detrimento fuerit VERRUCA, istam nihilominus curationem, bonæ deæ Fortunæ potiùs, quàm Apollini adscribendam, reor: audi itaque, audi insuper (*lect: beniv:*) horrendum hujus audaciæ dicam, an imprudentiæ? pretium & alieno disce mercari periculo cautiùs.

ANNO MDCXC. HAGÆ-COMITUM, Chirurgus quidam, cujus nomini, propter res ab ipso sæpius, in Republica Chirurgica, viriliter gestas, parcere duco æquissimum, VERRUCÆ majusculæ, dextram superiorem palpebram, juveni XVI annorum, non longè ab naso, pro sede, habenti, scalpello punctulis pertusæ multiplicibus (leviter scarificatæ ajunt) communis ruptorii injecit frustulum. Æger, quamvis intra horam, totus ipsi jam doleret oculus, statuens consumi debere VERRUCAM prævioque hoc & non sine comite dolore posse fieri, Chirurgum non accersit & ille non, nisi elapso quatuor; sed, ut æger referebat, sex horarum spatio, redit remque indagat: omni seposita ligaturarum supellectile (curaverat etenim, ne palpebrarum motu, quâ vellet, aliòrsum, cederet apparatus flueretve causticum medicamentum) vix oculum inspicit, quin, non VERRUCAM tantùm; sed & totam ferè palpebram; imò & istius lateris tempora genasque: in eas enim & in dorsum occubuerat quandoque æger, levi nigredine conspersa intuetur; ut verò, absterso liquore, rem perscrutatur propiùs, ipsam palpebram, adnatam corneamque tunicam suo contactas medicamine horret meque in consilium vocat ducitque ad patientem. Quantum possum, dolores arrosionesque lenio,

lenio, ſiſto quodque ex arte medica judico, ſedulus perago fotibus, cataplaſmatibus medicamentiſque topicis: detergo, nempè, Croco & Opio, cum lacte mixto ſeminumque cydoniorum & pſylli mucilaginibus, albumine ovi cum alumine conquaſſato, omnes partes: injicio quidem, hoc modo, repenti malo moram; ſed verò demortuis & moribundis partibus, jam nunc & vita & vigor deerat: non levis quippe poſtea palpebræ adnatæque pars tunicæ ablata & corneæ condenſata fuit; ità ut poſtea nullum per eam pupillæ, vel ligamenti ciliaris veſtigium apparuerit totuſque oculi bulbus unicolor & tumidè prominens manſerit: brevì, imprudentiæ hujus hiſtoriam expediturus, ei nihil addo; niſi hominem, hoc oculo, reſtitiſſe viſu privatum ſibique ſe luminis aliquid percipere, perſuaſiſſe aliquando.

Curationem quod ſpectat in genere, triplici illam poſſe abſolvi methodo, ſuſtinent auctorum plurimi; medicamentis, videlicet, chirurgiâ & occulta rerum adhibitarum qualitate. Harum ultimam, utpote fabuloſam; ne quid pejus dicam & inſulſam, rejicio in totum: quis enim mente conſtans Medico-Phyſicus ſibi habebit perſuaſum, VERRVCAM manu mortua contactam, emori mox & decidere? aut aquâ pluviâ ex cippis hauſtâ, conſperſam, evaneſcere; aut filis, ex induſio VERRVCOSORVM demortuorum in nodulos, ad VERRVCARVM auferendarum numerum, contortis & ſtillicidio fontis naturalis ſuppoſitis, putreſcere? de cute ſeparari atque ſine cicatrice curari? vel pomum VERRVCOSVM per medium ſciſſum & poſtea uvidæ demandatum terræ, huic morbo non fallax eſſe remedium? Quis genio, moribuſve admodum eſt auſterus; ut, ubi hæc legerit: ACCIPE TOT GRANA CICERUM, QUOT SUNT PORRI ET SINGULIS GRANIS, SINGULAS TANGE VERRUCAS, DEINDE LIGA GRANA CICERUM IN LINTEOLO ET POST TERGUM PROJICE; SED HOC NON FIAT, NISI LUNA NOVA, riſum teneat? vereretur ſanè rectiùs

 phan-

phantaſtico-lunaticus quiſpiam, memor Apologi Deucalionis & Pyrrhæ, VERRUCARUM, hac ex arte, regenerationem & multiplicationem; Sed ineptiarum harum ſatis & plus erit feſtinandumque ad methodos priores duas illuſtrandas.

Medicamentis cauſticis poſſe tolli VERRUCAM, non nego; ſed verò tutò, citò & jucundè, pernego: nulla enim ex medicamentis corroſio, depaſtio, corraſio impediri cùm pro neceſſitate & lubitu queat, temporis indefiniti intervallum requirat, non ſine dolore fiat; tuta, cita, jucunda renuntiari poteſt minimè.

Medicamenta itaque, ſecundùm me, VERRUCIS adhibenda, ſunt emollientia & blandè deſiccantia; prima, ad ipſas VERRUCAS reddendas aptas extirpationi, ſecunda, ad earum conſolidationes exſtruendas: ſic bono cum eventu ipſis injeci; *Empl. de mucilaginibus*, *menſes mulicbres cum ſputo mixtos ceráque obductos*, *gum. Sandracum & ſimilia:* Nam *querni de trunco*, *aut eſulæ ſuccum* hunc morbum non tollere, certus ſum: *atramentum* enim & *fel* huic ſi immiſceantur liquori eoque modò VERRUCA auferatur, agentis & patientis periculo (cauſticum enim eſt) fieri ſuſtineo; ſed emollitas, noſtra arte, VERRUCAS, poſſe tutò erui: imò & extrahi, ipſa teſtatur Empyria.

Sed liceat (*lect: beniv:*) quod æquum & utile videtur, effari reverenter: omni medicamento, in curanda VERRUCA, potior eſt Chirurgia, quæ triplex hoc in caſu exiſtit; VERRUCÆ, nempè, LIGATIO, EXCISIO, INUSTIO.

Agam primò, ut ſtatim, de ultima methodo, utpote rejicienda, aut non niſi ſumma cum cautela, adhibenda quæque nihilominus non erit tuta, cita & jucunda.

Inuſtio (cauterium actuale) ad auferendas VERRUCAS æquè minus quàm potentiale convenire, docebit ipſa cum ratione praxis: etſi enim per cannulam, partibus vicinis ab injuria candentis ferri defenſis, comburatur VERRUCA; impoſſibile tamen

eſt,

eſt, plùs, aut minùs quàm oporteret, non comburatur: quod enim in deſiccandis oſſibus, partibus duris carie &c. correptis, pro lege eſt infallibili; ferrum, nempè, ignitum parti eſſe adhibendum deſiccandæ, omne uſque dum ſileat ebullientis liquidi murmur; in VERRUCA, parte molle partibuſque mollioribus ad- & inhærente, locum obtinere non poteſt: murmur enim illud deciperet, vel prudentiſſimum Chirurgum perſiſteretque uſque dum unà cum VERRUCA, combuſtæ eſſent vicinæ quæque partes.

Inuſtione tamen curari poſſe VERRUCAM, quâ ſequitur methodo, expertus ſum ipſe; acu, nempè, candeſcente, VERRUCÆ ſæpèſæpius intruſâ eſcarâ que poſtea medicamentis ſuppurantibus ſeparatâ cicatriceque ulceri deſiccantibus inducta; utrum autem hoc tutò, citò & jucundè fuerit peractum, judicet æquus lector, quem inſtructum inſuper volo, me illud coactum & ex mandato ægri perpetraviſſe quaſi artificium.

De liganda VERRUCA, vel volſellâ comprimenda, inutilis non eſt inſtructio; utrumque illud artificium ſolummodò fieri (ſecundùm artem ſi fiat) ad tutam, citam & jucundam VERRUCÆ ablationem: radicitùs enim ligaturâ auferuntur VERRUCÆ nullæ, ſine periculo recidivæ, unquam.

Curatio VERRUCÆ itaque ſpeſque ejus omnis in extirpatione, exciſione, collocanda exiſtit; forfice autem illud, ſive ſcalpello fiat, non moror: poſſe hanc operationem tutò, citò & jucundè peragi, nemo negabit; niſi forſitan is, qui eam tentaverit in vetuſtiores & jam nunc, ab multo tempore, induratas VERRUCAS, plus valentes pertinacitate ſua, omni doctiſſima medicatione atque manu.

Cave quoque (Tyro Chirurge) ne, ubi cum VERRUCA palpebræ tibi negotium eſt, eam pertundas: vulnus enim illud, fœdiſſima ſine cicatrice, conſolidari poterit nunquam; neque laceres palpebræ muſculum violenter: tuâ enim culpâ relaxabitur

palpebra incurabiliter ; videsis porrò concedas nunquam, dente, aut ungue avellatur, aut abscindatur VERRUCA (hæc tamen methodus ab quibusdam commendatur) quæ enim inevitanda huic ineptiæ & pedissequa sunt symptomata, noveris, facilè. Exemptâ VERRUCâ fundo injicienda sunt balsamica, nervis amica, calidè: Ultimò; quæ hoc scripto proposui, singulatim exemplis confirmarem multiplicibus, nisi assertionis meæ vim ipsa confirmaret ratio.

Inscium te (*Lect: Beniv:*) interim nolo, mulierculam, de qua egi exercitatione præcedenti, in vicinia hujus urbis, vivere pristinæ sanitati restitutam tantæque (quantam eam narravi) ablatæ excrescentiæ, vix pisi magnitudinis æqualem itidem restitare cicatricem.

EXER-

EXERCITATIO ANATOMICO-CHIRURGICA

DECIMA;

DE

NERVIS;

qua

ſtatuitur

NON DARI SPIRITUS ANIMALES.

Etſi ſæpèſæpius, tùm privatim, tùm publicè, meam de, ſic dictis, SPIRITIBUS ANIMALIBUS, palàm fecerim opinionem eamque, poſt varia experimenta, non ſine ratione, confirmatam crediderim ſatis ſuperque, videlicet,

NON DARI SPIRITVS ANIMALES;

Conſtitui tamen hocce anno MDCCIV. menſe Febr: in cadavere viri, laqueo necati, ut & in vivis animalibus, ne antiquæ iſti ſententiæ;

Non debere inquiri in demortuis in hoſce ſpiritus; utpote conſtantes ſolummodò in vivis,

Locus refutationis meæ eſſet opinionis, adhuc ſemel & quidem in Theatro publico, Anatomico, hoc rei pondus trutinæ appendere rationis & experientiæ;

Ordo

Ordo autem & hiſtoria rei peragendæ atque ab me peractæ fuit ſequens: primò; in præfatiuncula, præter alia, argumentis, poſtea ipſa diſſectione, de qua inferius, conatus fui probare;

Parum fiduciæ uſui ratiocinii mechanici in medicina eſſe tribuendum.

Argumentando; ſi ratiocinium mechanicum, in medicina, id ſolum & unicum, ſpretis omnibus aliis, ſit medium, quo niti, progredi & ad metam, conſervationem, videlicet, præſentis & reſtitutionem amiſſæ ſanitatis, pervenire arti medices relictum ſit, medium iſti arti eſſe relictum, admodum incertum, erroneum nullumque in tempus non mutabile; brevi, ipſam incertitudinem.

Nullam, nempè, partem animalis extare, de die in diem, non mutandam, diſpoſitione, munere & officio; ità ut, quod vas nunc erat, mox oportet ſit ſtamen, quod mobile nunc, immobile mox: quod nunc magni, mox parvi, ne dicam, nullius, uſus: exempla viris mechanico-medicis obtrudere, incongruum duco; ſi tamen petantur, plura dare, non denegabo.

Ex partium hac continua mutatione ſequitur probè, eas non poſſe deſcribi geometricè; quoniam inſuper omnes pro individuis, tempore, dimenſione, connexione cum ſibi vicinis partibus & (in quo rei cardo verſatur) figurâ, differunt: ſi quis oggerat, arteriam tamen manere arteriam ſemper venamque venam ſemper figuramque ſuam obſervare &c. is mihi parum œconomiæ animalis videtur conſcius:

Quinimò; etſi hæ omnes mutationes ad typum quemdam, (quod fieri poſſe nego) pro tempore & uſu poſſent revocari; incertus tamen, pro individuis, eſſet ratiocinii mechanici, hac in parte, uſus & quidem præſertim in ſtatu præternaturali, in quo medicina primas obtineat, oportet.

Rogas

Rogas forsitan (*Lect: Beniv:*) hac in negotio, quid plus ratiocinio mechanico valeat? respondeo; illud non rejicio; sed verò aliud quid ei præfero, vel comes adjungo; sedulam, nempè, multamque (taceo alia ex variis artibus petenda adminicula) animalium dissectionem, praxin medicam; quæ sanè omnia secundo lustro ab artis tyrocinio non fiunt, non acquiruntur; multo minus experientiâ confirmantur: res enim agitur magna decem impar annis: juvenis ergo medici hac, in re dubia, censorio decreto opus non videtur; sed tamen systemata fingere & refingere juvenibus, aphorismos statuere senibus, omni in arte quasi, permissum est.

Dissectionem quod attinet prædicti cadaveris, intendens nervorum fabricam exhibere & contra SPIRITUUM, sic dictorum, ANIMALIUM figmentum, mea proponere animi cogitata, demonstravi primò; cum velamentis toti corpori communibus, cervicis musculos egique porrò tùm de hominis, tùm de bruti cerebri & nervorum fabrica, proponens unà cum cerebro integram medullam spinalem, suis cum velaminibus, in vertebrarum tractu & posteà in assula depositam, adjiciens huic demonstrationi varia in nervos examina, de quibus disputatione prima egi abundè; comprobantia;

1mò; NERVUM NON ESSE TUBULUM, PROINDE VALVULIS CARERE:

2dò; NERVORUM STAMINA NON ADMITTERE INTERSTITIA ATQUE ITA TUBULOS NON CONFICERE; NEQUE

3tiò; IN IIS INVENIRI LIQUIDUM, VAPOREM VIVIFICANTEM, VEL SPIRITUM ANIMALEM:

post multas ad digitum demonstratas incongruitates ineptiasque, ex SPIRITUUM ANIMALIUM nudè suppositorum fonte, ortum ducentes, refutavi quoque quasdam de cerebro pudendas fabulas; ut sunt (vide zodiac: med. Gall: anno 3tiò observ: 3. med: clariss: CLERIC: & KERKRING: obs. 46.) homines & bru-

ta quandoque nasci; quinimò vivere, sine cerebro: unde enim (*Lect: Beniv:* sit huic digressioni locus) promanabunt? quo loco erunt reperiundi tali in corpore famosissimi isti SPIRITUS ANIMALES? quo modo agent deficiente SPIRITUUM ANIMALIUM scaturigine, isto in corpore nervi? quo medio isti animali constabit visus? auditus? &c. quorum nervi de cerebro ortum ducere dicuntur; supponunt tamen auctores, moveri in istis animalibus nervos proindè & hosce fieri actus; statuatur itaque, oportet, Clarissimum virum KERKRING, huncce non accuratè perspexisse, de quo verba facit, foetum fictæque narratiunculæ insulsi lanionis fidem adhibuisse minus prudenter: ego enim exhibere valeo foetum masculinum, cujus capitis ossa, cranium constituentia, sex, in molem excreta insignem, cerebri continent nihil; sed inter ossis occipitis primæque secundæque vertebræ dehiscentium spatium, totam cerebri compaginem occultant.

Prodigio porrò non est (capiant hunc casum, admodùm frequentem, mechanico-medici) viscera eorumque partes quandoque numero, magnitudine, loco & hoc repeto, figurâ, differre illudque in sanis apparentibus æquè ac in ægrotantibus locum obtinere; sic lien in inguine dextro; cor situ inverso; intestina ordine confuso; quinimò extrà abdominis limites; triplex ren; mole adauctum; sed tamen sanum, hepar &c. inveniuntur; incertum itaque de partium figura &c. desumptum esse ratiocinium mechanicum in usum medicinæ, judicabunt sagaciores.

Demonstravi deinceps ab cerebri mole usque in ultimam nervorum propagationem, stamina nervea extus & proximè concomitari liquidum; ea quidem quantitate; ut, tereti stylo pertusâ nuchâ, os occipitis inter & primam vertebram, unciæ quædam, brevi temporis spatio, dimittantur tantique esse ejus liquidi in nervorum usum momenti; ut nervi eo destituti (nec tamen corpore læsi) officio priventur: demonstrationis hoc genus insuper confirmavi praxi Medico-chirurgica, quâ constat, dehiscente vertebrarum

brarum tractu uno, vel bifido; ab nativitate læsoque nervorum involucro generaliore; ita ut stillicidium insequatur, mortalium curatum fuisse & ad annos aliquot superstitisse, neminem.

Adjeci huic demonstrationi & experientiæ aliam, docentem; totum systema nervorum, eò quoque usque esse continuum singulosque nervos ad hoc totum ita pertinere; ut sine læsione totius, singularis quidam nervus lædi nequeat: læso enim canis viventis in nucha, prædicto modo, involucro nervorum & diffluente liquido, riget mox corripiturque convulsionibus labatque dubia cervice, marcente visu, animal; quod si penitius stylus iste transeat laceretque spinalem medullam, intrà triduum, hebescente visu, accedente corneæ ulcere & tandem totius oculi proptosi, agitur diris totius corporis motibus; hinc mecum colligant, oportet, corporis humani perscrutatores, nervos opticos non incipere; neque finiri ex - aut in, sic dictos, eorum thalamos; sed verò cum inferiore nervorum tractu corpore, aut mediantibus hisce thalamis, esse communes. Primæ læsionis exhibita curationis methodo: secunda quippe sine insigni partium detrimento (quod & tamen rarissimè; mortem, nempè, animalibus obeuntibus ut plurimùm) nunquam fit: disserui hac occasione de inurenda nucha in morbis apoplecticis, ponendis setaceis & fonticulis, sustinens persæpè eos intempestivè & non requisito loco collocari.

Vt verbo rem expediam: demonstravi nervum esse stamen, non tubulum & liquidi in se, quocunque nomine posset venire, non plus habere, quàm cæteræ partes flexiles; statui itaque nervos non moveri ab liquido quodam, intra nervorum cavitatem agente atque ita Spirituum Animalium historiam esse fictitiam. Petii ultimò ab auditoribus meis; an, quæ præstiteram experimenta, probè iis non viderentur instituta? Secundò; an alia in Spirituum Animalium demonstrationem possent concinnari? silentio autem probatam meam cum rear sententiam, possem & ego silentium imponere huic ser-

moni: sufficit enim demonstravisse, quod in titulo est; ni opportunum posset haberi, proponere, quo modo, me judice, salvo industriore, nervus suo possit fungi munere, moveri ac movere partes alias, SPIRITIBUS animalibus negatis?

Quod extrà omnem controversiam positum omniumque Physico-medicorum consensu receptum est, recipiens; cerebri (nempè) & nervorum ope corpus animalis ejusque partes moveri deque primo motore Deo secundoque anima in hominem agente, statuens, ipsa quæ statuit ratio comprobatque experientia; differo tamen ab multorum opinione, circà methodum actionis cerebri nervique corpusque nervum primò in actum ducens; negans, interventu SPIRITUUM ANIMALIUM, vel solâ animâ, nervum in animali, in actum duci, probans hanc impossibilitatem ex nervorum fabrica.

Negatis itaque SPIRITIBUS ANIMALIBUS, subjecto, in quod quasi agit anima in homine constitutoque & in brutis nervorum actu, sequitur, ipsum corpus nervi per se (per se autem cum moveatur nihil, de hac distinctione inutilis est sermocinatio) vel per aliud ei contiguum moveri; quemadmodum ergò, posito primo motore, nullus est motus, nisi ab alio motu, statuo; nervum moveri, mediante motu liquidi, corpus suum concomitantis eumque, hoc agitato liquido, de tono suo mutari, de tensione sua rectilinea in angulum duci, accurtari partesque sibi conjunctas movere; liquidi verò prædicti pressione motuque cessante, in pristinum restitui tensionis statum; ita in ipso actu nervi musculi carneapars crispatur, eo cessante, iterum lævigatur, æquatur &c. liquidum hoc cum continuò ab sanguine in cerebro separetur nerveumque corpus ubique locorum concomitetur, in promptu est, quod nervum pro cordis motu magnaque, vel parva ejus segregatione, elasticitate sua plus, minusve in actum ducat, qui actus insuper in homine pro animæ & voluntatis arbitrio dirigitur; ita ut motus hujus liquidi, nervum moventis, in brutis elasticus; in homine

verò,

verò elasticus nunc, nunc voluntarius, oportet, renuncietur: segregati hujus liquidi actus in nervum promovetur ab ei incumbente involucro, sive tendine multiplici agente in omnem nervum: hic tendo ab accedente de sanguine hocce liquido extensus, mox resistentiâ & tensione sua vim impulsi hujus liquidi superat illudque premit in nervum eumque movet.

Si forsitan quispiam dicat; solam animam, mentem, cogitationem, totam corporis molem agitare, volvere, movere, is mihi saltem facilè concedet, Non Dari Spiritus Animales; quoniam, etsi subtilissimi supponantur; corporei tamen erunt, quod in anima, mente, cogitatione, locum non obtinet brutorumque nervos debere moveri, hoc posito, animâ: proindè verisimile non videtur, antiquos sub vivificantis spiritus & corpus moventis, divinæ auræ nomine, Spiritus Animales; sed ipsum Deum, primum motorem, intellexisse.

Sepositis fabellis nugisque Helmontianis, Paracelsianis aliisque de Archeo, homuncione fabricando; ne à tergo quidem, sive à posteriore viso; de virtute seminali corpori animalis impressa; de partibus innata occulta qualitate &c. non disputabo, animam proximè ipsi corpori nerveo in hominem non potuisse sua mandata imprimere illudque in actum ducere requisitum; quod tamen in brutis, quibus anima negatur, planè fuisset impossibile; quia verò mihi de potestate animæ & de possibilitatibus sermo non est; demonstro liquidum, parte solida mobilius, in promptu esse, quod in nervi motum agat: statuo itaque lege motus naturalis, stamineum nerveum corpus suæque speciei solidum, quàm citissimè, operante hocce liquido, elastica sua virtute in brutis & in homine, animâ quoque illud agente, tutò posse in actum duci eritque nemo (ut opinor) huic meæ opinioni eòusque contrarius; ut non annuat, me in homine animæ assignare subjectum, in quod, respectu nervorum, agat atque ad oculum demonstrare liquidum, nervo ubi-

que proximum, quod in brutis elasticitate sua valeat movere nervum; eum verò, qui SPIRITUS AMIMALES pro motûs in nervos medio proponit, non demonstrabilem; ne dixerim, non existentem animæ & brutis proponere, in quam agat, materiem:

Quod si enim sufficiat; statuisse nervos per SPIRITUS ANIMALES illosque per animam animamque per Deum moveri; habebunt, quod volunt & nudè supponunt SPIRITUUM ANIMALIUM defensores; sufficiet etiam hoc pede pergendo, omni in actu animalis dubio, SPIRITUM ANIMALEM vocavisse in usum, sive fictitium Deum, hoc phantasma è machina, cujus contrà potestatem, vel hiscere, sine piaculo, mortalium nemini concessum erit.

Commemorarem, hoc loco, quædam de methodo agendi SPIRITUUM ANIMALIUM, secundùm quosdam, in nervos; extendendo, nempè, an verò contrahendo suo fungantur munere; verùm demonstratum cum rear, eos non existere, aëra verberandum non duco themaque meum exornare pergo.

Ad nervorum figuram addo; alios rotundos, alios planos, &c. hosce teretes, illos robustos corpore, extare.

De eorum insertione; nonnullos extremitate capillari, nonnullos verò plexiformiter, in partes movendas, inseri:

Tendere in eas nunc laxè, nunc strictè &c. neque cum nervis quemadmodùm cum vasis sanguiferis, esse comparatum; utpote qui (sustineo maximam differentiam vas inter & stamen nerveum esse abundè demonstratam satis) ex parva mole nunc augentur, nunc ex magna diminuuntur; ex varia hac figura variaque hac tensione varia est in nervos, ab prædicto liquido, impressio variusque motus.

Proditum

Proditum quoque arte Physico-medica & experientiâ habemus, primò; saniora ista corpora esse, quibus firmior nervorum est dispositio, tensio : eò quoque usque; ut in proverbium abierit, nervorum nomine & tensione significari corporis & animæ vires nervorumque tono indigitari, partium quarundam virtutem:

Secundò; refocillari inque pristinum statum, post multam agitationem, nervos reduci quiete, somno &c.

Tertiò; nervos de tono suo, sive tensione sua eòusque extensos, depressos; ut non resiliant reveniantque ad pristinam tensionem, manere, cum parte movenda, flaccidulos, immobiles;

Hujus asserti exempla, si desiderentur, petenda extant ex vi nervis tendinibusque illata exteriore, vel motu paralytico &c. interno, violento. Vitiari quandoque hoc liquidum, constat itidem liquidò; unde varia symptomata, nervorum systema spectantia: spasmi, convulsiones, sic dicti arthritici dolores, rigores, titillationes &c. quodque in præsens negotium credam facere maximè, est; impeditâ transpiratione insensili & adaucto hocce latice, nervos arteriasque omni de parte comprimi hincque insensilitatem, stuporem; verbo epilepticos, apoplecticos morbos ortum trahere.

Defectu hujus liquidi nervos motu, munere, officio destitui, docent senio confecti morbique varii.

Nervorum involucrum, sive tendinem, præternaturaliter, nunc complicari, nunc extendi, manifestissimum exemplum in ejus nodulis, ganglione &c. (vide part: prim: hujus Exercitat:) extat : nullibi enim locorum nervis adhærescit; relinquens, in statu naturali, liberiorem nervo ad motum, locum.

Plura, imprimis meninges, generales & specificos cerebri nervorumque tendines; arterias venasque, hæc involucra adeuntes, cingentes, perreptantes; liquidum, de quo multus mihi fuit sermo eiusque dispositionem spectantia; ut & alia quædam, huic exercitationi adjicerem impræsentiarum; nisi vererer, meæ mihi tenuitatis conscius, hanc meam opinionem publici non fore saporis & posse forsitan moveri difficultates ab me solvendas, aut agnoscendas; alterum quod novo scripto & apertè (re id exigente) faciam; etsi quoque docere & doceri amem, docui edoctusque sum tamen jam dudum, difficillimè præjudicia, longa annorum serie, recepta, præsertim ea, quibus concessis, absurdissima rationique contraria ipsi posse defendi videntur tutò, ex doctorum discentiumque animis erui: antequam ergo illud exornem ulteriùs, excipiam opponentium, vel consentientium artis nostræ peritorum contra, vel in hoc meum propositum, eâ, qua decet, humanitate & reverentiâ, argumenta, suffragia animique sensa; ne meo me deceptum præjudicio, falsa pro veris statuisse & excoriavisse priusquam mactaverim, renuntient sagaciores.

DECADIS PRIMÆ FINIS.

EXER-

GODEFR: BIDLOO;

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM

DECAS SECUNDA.



LUGD: BATAVORUM,

Apud JORDANUM LUCHTMANS, 1708.

VIRO

Nobilissimo, Clarissimo, Experientissimo,

ADRIANO, ENGELHARDO, HELVETIO,

Serenissimi ducis Aurelianensis

Medico ordinario,

prosperitatem!

G: BIDLOO.

Silent inter arma leges; non verò Musæ, artes & scientiæ, hostem quæ, neminem, præter ignorantiam, habent; quem tamen, utpote inermen, despiciunt atque rident, tutæ, quemadmodum Pallas ægide, suâ

&

& ſimplici benevolentiâ, prodeſſe, videlicet & delectare, miſcentes utile dulci, in commune mortalium bonum, Studentes & (ô! ſortem optandam!) tranquillè ſecum habitantes.

Celebri tuo nomini (*Vir illuſtris*) EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM SECUNDAM MEAM DECADEM, vides inſcriptam; hoc ſanè muneris tibi debebam, propter commune nobis ſtudium, intemeratam noſtram amicitiam tuorumque, in republica medica, meritorum cumulum.

Accipe, excipe ergo, tali cum favore, quali cum animi mei candore eum tibi ſacrum facio, hunc non immaturum, aut præcocem, rationalis meæ experientiæ, fructum & vale diu.

Dabam Lugd: in Batav:
A°. MDCCVIII. *Menſe*
Januarii.

G: BIDLOO;

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM

DECAS

SECUNDA.

DECADIS SECUNDÆ, EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM PRIMA;

DE EXCRESCENTIA

Fæminæ denuò inguini oborta.

EAdem illa fœmina, cujus ſtupendam Practicis hiſtoriam, DECADE PRIMA, *exercitatione octava*, enarravi; poſtquam duos circiter annos, toto tumore, ablato ejusque ulcere nitidiſſima cicatrice obducto confirmatoque, ab omni inguinis intumeſcentia liberata vixiſſetque perfectiſſimè, per omne id temporis, ſana; iterum me convenit, A°. MDDCV. 6tò menſis Martii, tantam, eodem in inguine, denudans excreſcentiam, quantam ne, vel conſtantiſſimus quidem, animo, Medico-Chirurgus, ſine horrore inſpexerit; miſera porrò, egena & ad incitas redacta, profitebatur lacrymabunda, ſe; utpote, quæ recenter natis infantibus ab cura eſſe ſolebat, obſtetricis vetulæ conſilio obtemperaviſſe & tumorem, ante tres ſeptimanas, oleo obliniviſſe & ſuaſu Chirurgi cujuſdam, compreſſiſſe firmiter; eum verò, feſtinatione ea, eâ violentiâ eoque cum dolore prorupiſſe; ut peractæ imprudentiæ veniam ſimulque, meam implorare opem cogeretur; utramque ei conceſſi facilè, tum quia miſerandus omninò erat mulierculæ ſtatus, tum (ut apertè rem prodam: ſic enim decet virum honeſtum) quia ſollicita quadam agebar dubitatione, an prima excreſcentia radicitùs

totaque & omnis, ab me esset extirpata? an verò quædam forsitan ejus pars relicta atque hoc modo, aut meâ inscitiâ, aut imprudentiâ, recidivam (ut vocant) pateretur: nam, etsi minimè homo Euripus & de peracta operatione securus, ab omni viderer parte, nunc propter rem, coram multis celeb: Medicis & Chirurgis præstitam & ab eorum suffragiis comprobatam, tunc propter temporis intercapedinem, quâ integra extiterit & quæ porrò argumenta, de fonte Medico-Chirurgico, pro me militabant; tamen ipse experiri statui, hæc an præteritæ essent excrescentiæ infaustæ reliquiæ vestigiaque, non probè deleta, an verò novum symptoma?

Manum ergò, Lunæ 16 Martii, circiter octavam, iterum unà cum Chirurgo M. ALDERKERK operi admovi; quò (ut seq: exhibet figura) hanc excrescentiam, unicuique, artis Medico-Chirurgicæ fautori & studioso; quemadmodum & toto tractationis tempore, inspiciendam præbui.

TAB. PRIMA PAG. 132.

A. INGUEN SINISTRUM.

B. B. B. PROTUBERANTIÆ IPSA DE MOLE TUMORIS EMINENTES, SPLENDENTES ATQUE LIVESCENTES.

C. C. C. SULCI, RIMULI EXCAVATIONESQUE, LURIDI COLORIS LABIIS ET MARGINIBUS OBSESSÆ.

D. D. PARTES SUPERFICIARIÆ, PUTREDINE CORREPTÆ.

Tale, quale ad vivum depictum, prostabat fœtens & multo madens latice sanioso, ingens & dirum hoc monstrum; ita ut multi, oculo, mox stomachabundi, ab horrendo aspectu retorto, ad eum redierint rarò.

Injeci, quod, exercitatione præcedente descripsi pag. 100: huic excrescentiæ torcularium eamque, eodem; ut prædictam, excipere & tractare incepi modo: totum insuper,


A.
B.
C.
B.
D.
C.
D.
B.
C.

super, oxycrato madefactis, tumorem exornans ſpleniis & linteamine multo.

Hocce die, conſtricto ter tumoris pedunculo, potiùs baſi; accipiebam, ab iis, qui ægræ ab officio fuerant,

17mò. Eam tranſegiſſe pervigilem totam noctem, cum frequentiſſimis, de dolore inſenſiſſimo & veluti flammula corripiente, querelis; nulla cum tamen ſeſe manifeſtaret febris, paulò, magis coarctavi vincula: poſt meridiem cruciatu defeſſa obdormiſcere; ſed non ſine febre incepit; veſperi verò, omnis videbatur ſuppreſſus dolor; ſed tamen utrique inguini, quinimò & pubis regioni impoſitum *Empl. defenſiv. vigon.*, ne inquinata ab effluente undique, fœtidiſſimo latice, corriperetur: levis etenim jam nunc conſpiciebatur inflammatio; noctem ſatis egit tranquillè.

18vò. Apparentibus veſiculis, gangrænæ prænunciis ægraque, de ſummo dolore circa pudenda totiuſque infima regione, conquerente, omni parti, extra vincula, *ung. alb. caphurat.* injeci; ex fœtore tamen cum ægra in levia animi deliquia rueret, præſcripſi ei, quod ſequitur, cardiacum, cochleatim uſurpandum;

℞. *Aq: Meliſſ: Puleg: a* ℥ij.
Cinnamom: ℥ß.
Confect: Alkerm: ʒij.
Sacch: perlar: ʒß.
Syrup: Pæon: ʒiij.
Sal: volat: aromat: ℈ß.
M.

Tumore, circa meridiem, firmiter conſtricto, habuerat patiens ſeſe benè; febricula licet intermittente & periodica, per noctem, infeſtata, ut Chirurgi famulus, qui excubias cele-

braverat vinculaque, ut erat monitus, conſtrinxerat ulterius, referebat.

19mò. Elevato autem apparatu, mirabamur (multi enim huic viſitationi intererant Medici & Studioſi) tumoris, ſive excreſcentiæ adauctam molem: ſuperabat enim capitis hominis magnitudinem longè: propoſitum nihilominùs perrexi & ea, qua potui vi, conſtringere & comprimere vinculis molitus ſum excreſcentiæ fontes; tamen monuerim expreſsè, toto die, non ingravuere ſymptomata; ſed verò

20mò. Hauriebam ex relatione, tum ægræ, tum ei adſtantium, eam moleſtam ſuſtinuiſſe & omni ſomno expertem noctem: febrem ipſe quoque detegebam inſignem, quam ſymptomaticam ſtatuebam; coarctatis itaque vinculis, exhibui: alvus enim erat adſtricta ab tribus diebus; quam ſolvere tamen; niſi coactus volui: debilis enim & quæ vix juſcula ferebat, viribus opus habebat miſera, circa meridiem, hanc ei infuſionem;

℞. *Fol: ſenn: mund:* ʒß.
Semin: aniſ: ℈j.
Ebull: in aq: pur: colatur: ad ℥iij.
adde
Mann: Calabr: ℥j.
Cremor: Tartar: ℈j.
detur uſui.

ex qua inſtanti veſpera ſemel alvum depoſuit.

Curavi; ne excreſcentia ſtrictiùs complicaretur: de tranquilla enim nocte parùm ſperans, paroxyſmo inſuper febrili cum exacerbatione & ægræ de dolore vociferatione, omnem me monentibus prudentiam.

21ò. Mane mutatum fuit nihil circa apparatum; ægra verò refecta juſculo &c.; tantus jam in conclavi erat fœtor; ut neceſ-

necessum fuerit, odorifera igni dare tumoremque cannabe & linteamine multo cooperire: ferebantur quippe ægræ nares (taceo adstantium & ei manus exhibentium) ea vi; ut quandoque videretur exanimis.

Circa meridiem, novum torculari est appositum vinculum, putredine confecto fractoque altero; elevato, hac opportunitate, tumore, apparuit in cute crena & circulare ulcus, pure conspersum puro & puto, ominis boni præsagium; nisi (L. B) rem factam enarrare; non verò è longinquo petendis ratiocinationibus de talibus Phænomenis differere, mihi proposuissem, haberem hoc loco exspatiandi amplissimum campum, quem circumire Philosophastros jubeo: sub vesperam (primis enim diebus ad minimum ter ægram conveni) dormientem inveni eam; sed febre agitatam: commendavi itaque, jusculi, in quo Ras: C. C. erat cocta, crebrum usum.

22ò. Totus grabbatus, impuro latice sanguineo conspurcatus erat, gangræna indies & de momento in momentum irruente: incipiebat tumoris circumferentia flaccescere: ulcere circulari *ung: digestivo*, consperso, redii circa primam, quâ pandiculationibus, rigoribus & nausea miserè miseram vidi agitatam: præcepi propterea crebriorem *cardiaci præscripti* usum simulque, per temporis interpolationes (sed sine *soporiferis*) emulsionis & hordeacei decocti.

23tiò. Iteratus est *haustus purgans*, prospectum ulceri & cæteris.

24tò. Hoc die memoriæ dignum accessit nihil.

25tò. Pendente jam nunc ex minori pedunculo excrescentia, multa mihi facta nataque de deciduo hoc & præcoci fructu, spes; quia autem alvus adstricta manserat, acui purgantis stimulum;

Quo-

Quoniam autem ſphacelo confectus ex parte tumor, ita fœtore ſuo infeſtabat ægram; ut delirio corriperetur, ei tinct. ex Aloë, Myrrh. &c. Spir. vin. injeci & (uti impoſterùm) veſicâ, qua potui ſedulitate cooperui habuitque patiens ſuccedentem noctem amicam; deponens alvum bis & commodè victumque appetens, quod ei eſt exporrectum ad lubitum.

26tò. Ex lurido nigram excreſcentiam ter, hoc die, complicavi, ulceri *digeſtiva*, inguini & abdomini inferiori *defenſiv. vigon.*: ſuperiori verò corroborantem hunc fotum injeci:

℞. *Herb. Ruth.*
Philandr. a m. iij.
Flor. abſynth. mj ʃ.
Ebull. in vino Gall. colat. ad ℔ ij.
detur uſui.

ægræque hauſtum vini cum vitell. ovor. &c. propinavi & ut feſtinaretur totius tumoris ab inguine ſeparatio & ſimul relinquendi ulceris tum abſterſio, tum deſiccatio, præſcripſi hoc ung:

℞. *Ung. Baſilicon.* ℥v.
Fuſc. Felic. Wurtz. ℥j.
ter, ſingulis diebus, applicandum.

Habuit ſeſe, toto hujus diei tractu, benè, exonerans tum alvum, tum veſicam, ulla ſine moleſtia; quia partes tumori vicinæ, hic & alibi locorum excoriatæ proſtabant, iis *Empl: diapalm: diſſolut:* applicui.

Veſperi de frigore totius femoris conqueſta eſt ægra & iteratum ſupra indigitatum cardiacum: oboriente tuſſi magnaque, circa eſcharam, hæmorrhagia, noctem valde egit inquietam.

27mò.

27mò. Præſcriptæ, hoc mane, fuere contra tuſſim ex *ſacch: alth:* tabellulæ biſque arctiſſimè conſtricta vincula: phænomenis reſpondentibus ad votum, præſtitis porrò præſtandis, ſuccedentem noctem ullo ſine notabili ſymptomate, tranſegit.

28vò. De ardore faucium, difficili deglutitione, alvo adſtricta & capitis dolore querelas movit: quæ omnia, circa meridiem, evanuere, alvo laxata, ſymptomata; fœtenti tumori ſpir. vin. injecto optimè dormivit.

29nò. Mane, ut & meridie, torculario firmiſſimè compulſo, bis hoc die alvum exoneravit; veſperaſcente tumori, quaſi de novo, præſertim ad partem verſus abdomen potuberanti, impoſitum fuit ſeq. Medic.

℞. *Ung. Baſilicon.* ℥iij.
Mercur. ſublimat. corroſiv. ʒj.
M.

nullo inſigniore incommodo vexata & nocte uſa pacata.

30mò. Abſciſſo altero, novum excreſcentiæ impoſitum fuit vinculum torculariumque ab una parte novum; quoniam præ putredine ipſa tota nigredine conſpurcata & imbuta comperiebatur machina; hoc autem, cum fieret, non levis oborta eſt hæmorrhagia, quæ tamen mox depreſſa, tum ſtupis ex cannabe gypſo ornatis, tum ligaturis ad partem accommodatis in formam faſciæ.

Totus hic apparatus, ea nocte, non fuit ſolutus (etſi ægra conquereretur de maximo circa inguen dolore) ob metum hæmorrhagiæ, circa meridiem immiſſum ſuppoſitorium acutum *troch. alhandal.*; alvo tamen medicationi non obtemperanti, præſcriptum eſt, quod ſequitur, purgans:

℞. *Resin. Jalapp. gr.* vj.
Diagrid. gr. v.
Cremor. Tartar. ℈ß.
Dissolv. c. q. s. vitell. ovor.
addendo
Aq. fœnicul. q. s. pro haustu

ejecitque circa vesperam induratas & nigricantes fæces; sed tamen ab febre & faucium dolore liberata fuit minimè, ita ut; ne vel momentum temporis, dormivisset.

31mò. Mane ligaturâ, circa meridiem, toto apparatu seposito, ex voto sese habuerunt omnia.

Pmò Aprilis. Qua potuit (secundum artem) vi compressa est excrescentiæ basis, quæ jam nunc vix pollicis transversi erat latitudinis: inter agendum cum ægra de dolore non conquereretur, mecum omnes adstantes Medici & Chirurgi judicabant eam penitus & totam extare emortuam; cujus effati veritatem demonstravit dies postera:

2dò. Ab inferiore quippe parte, magna squallidæque excrescentiæ pars, gangrænâ plane corrupta, cecedit; eo tamen cum fœtore; ut, hoc die, quater putrescenti plagæ prospicere necessum fuerit.

3tiò. Tumoris superficies parte, quâ dextrum spectat femur, nigerrima apparuit effluxitque de eo fœtentis liquidi ingens copia: hoc die & animo & corpore patiens erat debilis, nauseabunda & mœrore, quasi suffocata; præscripsi ei *ex vino Rhenano*, *croco* & *pane tosto* haustum dixerim, *an cardiacum?* qui cum ea pernoctaverat, renunciabat eam; postquàm sudoris multum ejecisset & media nocte, vagi sermonis

monis seruisset multum, somno satis alto fuisse oppressam:

4tò. Refectam viribus & in prandio utentem jusculo vervecino, ægram inveni, hoc die mutationis porrò observatum est parum.

5tò. Non probè comprimens solutum abscissumque est vinculorum unum commeditque bono cum appetitu dormivitque post meridiem, per 3. integras horas, deponens commodè alvum ægra.

Ornata tum abdomen inferius, tum inguina, loco, quo excrescentia, ulcere facto per vincula dehiscebat ab continuitate, *ung. Basilicon.* eique cum *ægyptiac. mixtum* injectum.

6tò. Strictissimè; quin imò; ut ulterius non potuerit, contorto vinculo, conquesta est ægra de rigoribus & totius corporis tremore; febris tamen cum vel vix adesset; rem in vado meque in portu navigare collegi.

7mò. Flaccescere in totum tumor cepit &

8vò. Pendulus est visus; ut eum reliqui, qui

9nò. Totus de inguine cecidit, relicto æquali & rubicante ulcere; sed o! non evanidam artis Chirurgices fiduciam! certitudinem & ab utroque proposito demonstrationem! vidimus etenim Medici, Chirurgi, Studiosi omnes, omnem, totam, integram hanc, de novo, elevatam & luxuriantem excrescentiam extirpatam priorisque ablatæ albidam, contractam, confirmatam cicatricem.

Nunc a posteriore consentiebant omnes, unamquamque inguinalium glandularum, eodem posse laborare ex vitio, neque hanc excrescentiam fuisse præteritæ ablatæ vestigium, recidivam; vel, eodem de pedunculo, non ritè depressam eradicatamque luxuriem;

Sed ne vel aliquid detrimenti ægra, ars Medico-Chirurgica, aut posteritas ab præcoci hac mea fiducia & assertione caperet, texi solummodò, ab

x mò. Usque in

xivtùm, Hujus mensis diem, ulcus per se madens puro & sufficiente liquido, carpto; postea verò illi adhibui *ung. Basilicon. cum Præcipit: Rubr:* quibus ritè paractis absolutisque, minimè festinando, illud cicatrice, priore non deformiore eique à latere, fuit obductum consolidatumque egregiè.

Qui huic actui ab initio usque ad finem, extra omnem lucri spem, interesse non destiterunt hincque Laude, non mediocri, ab me artisque nostræ fautoribus celebrandi veniunt, fuerunt, Clariss: Doct: Med: MYLIUS & VAN HOOREN.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *SECUNDA*; DE PANNO.

Specie, an verò genere, PANNUS & UNGUIS, differant Tu (L. B.) ex ſequenti collige deſcriptione; eſt autem PANNUS ab initio ad inveterationem, excreſcentia mollis, plana, rubicunda, augmentum citò capiens, dolorifica, adnatæ tunicæ, ex qua omni & incerto loco ortum ducit & ipſi aliquando quoque corneæ, continua. Si itaque ad aliud ocululorum morbi genus referri debeat, morbo incipiente, ad id inflammationis, referatur.

Ut ſudamina rubenteſque minutulæ in aliis corporis partibus, puſtulæ coaleſcentes, inflammationis præ ſe ferunt ſpeciem univerſalem; ita hoc in morbo, minima ſanguifera vaſcula, per adnatæ corporis poroſitates interſtitiaque prorumpentia, lamellam, citò & omni loco incrementum capientem moxque totum oculi album occupantem, efformant; unde jure merito, huic affectioni nomen ab comparatione (PANNICULI in initio, PANNI in fine) inſcriptum exiſtimo. Animum itaque adhibe hanc ad maximam (taceo cæteras) differentiam. PANNUM, nempè, ex reticulari vaſorum ſanguiferorum plexu conflatum, tunicæ adnate adhæreſcere firmiter; UNGUEM, verò, ex rupta, læſa inverſaque ipſius membranæ ſubſtantia oriri ſupertendique cætero ſuo corpori, ut & quandoque corneæ. Hiſce prælibatis, conceſſu erit facilè, curationis methodum in hoc quoque & illo morbo differe; niſi quis nudis clariſſ: SOLINGII & aliorum verbis fidem habendam

ſpemque collocandam ſuſtineat omnem: ait enim ille; *Pannus, eodem modo, ut unguis, curatur.*

Curationis totam hiſtoriam encheirſi, ſive inſtrumentis minimè gentium; medicamentis verò; ſed in alium ſcopum, quàm ex communi ſententia collineantibus, poſſe abſolvi arbitror: inſtrumentis etenim quibuſcunque, PANNUM ab adnata tunica elevare, ſeparare, deponere citra & ſine ſanguiferorum vaſorum laceratione eorumque relinquendis aperturis, vulnuſculis, veſtigiis, ipſi depoſitioni partique morbificæ contrarium & impoſſibile factu eſt: vaſa enim hæc rete quoddam formantia (ſive PANNUM) ab adnatæ tunicæ parte interiore ad exteriores porumpunt & ab ipſa proinde membrana filo, acu, ſcalpello &c. elevari tota & integra non poſſunt: quiqui itaque ab adnata tunica excreſcentiam, lamellæ in formam extenſam, depoſuerunt inſtrumentis, non PANNUM; ſed UNGUEM depoſuiſſe, verùm videtur, quàm quod veriſſimum.

Secundò; ex unanimi Medico-Chirurgica ſententia præſtat; in morbi infantia, mitioribus; ubi verò adoleverit, fortioribus; uti acribus corrodentibuſque pharmacis; *ad* (ut ajunt) *excreſcentiæ conſumptionem totalem.* Non credo opus eſſe, addam nomina eorum qui hoc dictitant, cum paſſim apud auctores Medicochirurgos, hoc vigeat axioma ſintque qui ſuſtineant, oportere *acria corroſivaque* medicamenta, omnem tangant & ſingulam, hujus excreſcentiæ partem;

Verùm ego, pace illorum, exiſtimo ſolis anodynis, topicis, malacticis, malagmatibus, confortantibus &c. artem huic poſſe mederi affectui & omnem, hoc in negotio, angue pejorem, eſſe vitandam acredinem corroſionemque.

Sicuti in concinnanda deſcriptione ſequentis UNGUIS morbi, non niſi tranſitoriè de medicamentis dico, utpote perparum, aut nihil & niſi in ipſiſſimo morbi initio ad curationem facientibus, ita de præſentis affectionis curandi ratione dicturus, agam de medicamentis, utpote ſolis in uſum vocandis, fuſiùs; unicum hoc aſſumens aſſertum; omnes ad unum Chirurgico-Medicos ſtatuiſſe, ſanguinem, hoc in morbo (PANNO) propelli ad extrema adnatæ corneæque tuni-

cæ:

cæ idque, latice ſanguineo in vaſis remanente, ſecundum alios; utroque autem reſpectu acribus medicamentis nihil fiet boni, ad curationis attingendum Scopum: ſi enim ſanguis manſerit intra vaſa, caveat oportet ſibi Medico-chirurgus, ne acribus corrodentibuſque doloreſque excitantibus, ſanguinis fluxum augeat vaſaque lædat, rumpat morboque morbum ſuperaddat: leviſſima enim quoque frictione in morbi initio rumpuntur; nec propterea ceſſat morbi vigor; ſi verò depulſus jam extra vaſa ſanguis oraque vaſorum aperta ſtatuantur; acria, ad ſummum, prorumpentis adhucdum ſanguinis fluxum impedire valebunt; ſed de eo nemo illorum videtur ſollicitus: volunt enim totam excreſcentiam ferro deponere, verùm, quomodo, expullulatum ſanguinem, ſive ſanguinolentam excreſcentiam (Panniformem) exterminant, conſumunt, auferunt de tunicis ſubjectis citò, tutò, jucundè, adhibentes, nempè, *cum exſiccantibus corrodentia?* eaque pro ætate & mole excreſcentiæ plùs minùſve potentiora. Veruntamen hæc, quo plùs, eò pejùs operari demonſtravero facilè.

Eſſe PANNUM, vaſculorum ſanguiferorum ultra proportionem (morboſè) turgentium in-et ex adnata tunica, congeriem, cum ad oculum attendenti, mox ab incepto morbo, appareat; hujus morbi curatio, mox & in initio, ab eorum vaſculorum læſione, corroſione, cum ſapientiæ grano (ex ſuperiore argumento) peti non poterit; inveteratum autem medicamentis irritare corrodentibus & ratio & uſus jam vetuit dudum: priuſquam enim ad ipſam adnatam tunicam pervenerit medicamenti vis, tanto infeſtatæ ſunt dolore, intumeſcentiâ, inflammatione partes vicinæ; ut ipſum ſymptoma hoc, primariam videatur requirere Medico-Chirurgicam curam.

Denuò; etſi (quod ſanè nunquam) PANNUS conſumeretur, nonne aperta, aut cruſtulâ contectâ reſtitarent vaſorum læſorum ora? ipſaque an non unà cum excreſcentia eſſet corroſa tunica? jam ſolitò mollior, adde tandem aſſerere quoſdam; SE PAUCORUM DIERUM INTERVALLO PANNUM CARNOSUM, UNA NOCTE UTRUMQUM INFESTANTEM OCULUM, curaviſſe. Quod ſi ita eſſet, etiam pro differente ab effectu,

ctu, actione, sive argumento à posteriore habeatur opertet: quævis enim levissima vel PANNI vel UNGUIS expullulatio multo non sine labore & diligentia coërcetur; sed credamus! ponamus mox ab morbi initio, expullulantem PANNUM, potiùs protuberantia hæc vascula æstumque in iis sanguinis, posse reprimi facilè. Nonne sanè illud pro me militat iterùm? perpende vim mei argumenti (L. B.) primò; eo in casu, vasa non sunt acrimoniâ medicamenti consumpta; acribus autem ad usque absolutam curationem, utebantur: aspera enim & excoriata & proinde in integrum non restituta, mansisset tunica adnata corneaque. De hisce apud eos nihil; Verùm cum iis, *causa* UNGUIS *&* PANNI *sit lympha viscosa, extravasata tunicæ corneæ firmiter adhærens; ita ut si ramulus arteriarum inseratur, non membranosus; sed carnosus evadit*, verbum non addo; rubor itaque oculi, an aliud quid morbosi fuerit, quod curatum describitur cujusque momenti, hæc sit causæ delineatio & an cum PANNI, UNGUIS ve dispositione conveniat, trutinæ tuæ (L. B.) dijudicandum relinquo libenter.

Curationis & Principium & finem colloco *P*ò. in sanguinis præter modum agitati motique compositione universali & particulari: *secundò* partim ex diæta, puta abstinentia ab nutrimentis, quiete; partim ex fonticulis, sanguinis missione, alvi depuratione &c. *Tertiò*, ex medicamentis haurienda anodynis, topicis, malacticis, lenientibus, corroborantibus atque tono partium restituto, desiccantibus. Ad positum primum; nemo erit qui ei non assentiatur: ad secundum; alvum reddi laxam leviterque moveri *Cassiâ fistul. Mannâ*, *massulâ pillularum cochiarum* & hæc sæpius esse iteranda quis est, qui ignoret? Ad tertium positum. Omnium horum agmen (mihi) ducit *opium*, antesignana sunt *crocus*, *mucilago sem: Hioscyami*, *Rad: consolid: major: & alth:* inter composita eminet *ex lacte, pan: alb: mic: & vitell: ovor: cataplasma.* De virtute, interim, vi & operatione *opii* multa, etsi nos (me inquam) lateant; hoc saltem pace rixantium dixerim; si quæ coram istis ulla renuntiasse liceat, constare mihi cuivis dolentium oculorum generi & speciei, sive suppositia humorum vasorumve obstructione, sive ab immodica ab eorum agitatione ortum ducant, tutò cum hæc & fructu posse adhiberi.

hiberi. Formulæ Medicamentorum, quas ad ſcopum meum præſcribo, hæ ſunt & plures eſſe aliosque ad morbos uſurpari poterunt; velim autem, ut in genere omnes pulveres non ſolubiles, ab oculorum medicatione rejiciendas putem, ita præſertim in hoc morbo (de aliis poſtea) tutiæ, oſſis ſepiæ &c. ſeponantur.

Fronti temporibusque applicatur ſequens *anacollema*.

℞. *Bol: armen:* ʒij.
Sang: dracon:
Thuris a. ʒj.
Far: volat: ℥ſſ.
Alb: ovor: quaſſ: q: ſ: ad conſiſt: anacollemat.

Mucilago ſæpè iteranda, dolores mitigans.

℞. *Mucilag: ſem: pſyll: cydoneor: a.* ℥j.
Croc: ℈j. *exprim: cum aq: fœnic:* ℥ij.
M. applic: 4plici linteam:
Sed tepidè.

Confortans medicamentum.

℞. *Herb: fœnic: verben: a. M. ij.*
Mirth: M. j.
Flor: Roſar: M. j ſſ.
Cariophyll: macis a. ʒij.

Macerentur in vino albo, diſtillentur, oculo inſtillentur guttatim. S. A.

Solani, ut & *ſuccum formicis Rubris expreſſum cum* FORESTO commendant multi; ego autem ejus efficaciæ non ſum experiens: qui fotus, ad leniendos dolores, ex *Herb: Violar: malv: flor: melilot: ſem: cotoneor: fœn: græc:* præſcribuntur &c. noti ſunt nimiùm, quàm ut diſertis verbis doceantur.

Quæ hac exercitatione poſui, dilucidiùs colligere dabuntur ex ſequenti.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *TERTIA*; DE

UNGUE, PINNA, ALA.

Πτερύγιον, cum Panno, Panniculo, Ala & Cataracta Exteriore, ab multis; toto etsi inter sese differant cœlo, confunditur; ne autem nominibus inhærere præfataque in mea, de evitanda nominum multitudine, peccare videar ipse; enucleabo quænam quàmque insignis horum sit morborum differentia: ubi enim ex ipso nomine totius morbi descriptio atque cognitio (quod passim ab Græcis observatum videmus) hauriri potest; opus & æquum videtur, de nomine dicatur & quidem primùm.

Pterygii titulo, nasi extremitates laterales, muliebris pudendi eminentiæ intra labia; unguium reduviæ, aurium humerorumque partes elatiores; ut & comparativè, Maxillæ inferioris musculorum duo paria & tandem morbi genus, impræsentiarum describendum, indigitantur.

Est (Pterygium) in punctum duriusculum (unde pinna, pinnula) circa angulum oculi majorem nunc, nunc minorem, ex exasperato (excoriato) aut læso, eò loci, tunicæ adnatæ corpore, in initio albescens, sine dolore, lento passu protuberans prædictæque incumbens tunicæ, excrescentia, tractu temporis in lamellæ

formam (unde ungula & unguis Latinis) superatâque prædictâ tunicâ, quandoque ad- & in corneam, de qua, in totum, ut de adnata, obtusiore instrumento, spatulâ &c. elevari potest, extensâ, unde nomen quoque alæ accepisse verisimile est. Excrescentia hæc inveterata cartilaginea merè livescenteque, hic & alibi, tincta colore, prostat. Omnia hæc phænomena; ut supra videre est, in PANNO ejusque speciebus, contraria huic descripto morbo inveniuntur; quo respectu autem ab fungo fico &c. aliisque protuberantiis morbosis differat, explanabitur postea.

De curationis Methodo, renuntiatum est, antiquitùs institui eam posse quadruplici methodo; *Primò*; ope medicamentorum, exsiccatione; *2dò*; corrosione, *3tiò*; ope manuum instrumentorumque, filorum, setarum, nervorum citharæ, pilorum de cauda equina constrictione & *4tò*; excisione, sive abscissione. Quid de hisce observaverim novique præstiterim collige ex sequentibus, postquam de quatuor prædictis dixerim mediis.

AD PRIMAM METHODUM;

Velim lectori notum sit, non posse; nisi jam jam incipiente morbo fieri cum fructu; quinimò, si exsiccantibus curetur hæc, aut illa excrescentia, eò loci, me dubitare (ne dixerim asserere) hujusce tituli; an potiùs levis solummodò excoriatio, adnatæ fuerit tunicæ; sed absit omnis cavillatio; si verus fuerit & completùs (& de eo agitur) UNGUIS, exsiccantibus medicamentis non curabitur; quæ autem in usum contra recentissimum vocantur, sunt; fotus ex *herb: malvæ, sem. lin. fœn: græc. thapsf. barbat. sc. ad attenuand. & emolliend. vitriol. alb: lap. Hæmatit. in pulverem versum. solut. cum aq. Euphrag. succ. Rad. lilior. portulac. sang. anguillæ. Zinzib. fricat. & vino impositum. Tinct. ven. cum aq. caprifol. nempe, ad abstergend. sunt & qui sal armoniac. & merc. sublim. corrosiv. ad lenem acrimon. q. s. aq. Rosar. mixt. commendant. Chalcanth. Rom. virid. æris in ovi album. exempto vitell. per triduum macerat. & fellis Rajæ. perdicis. mel. chelidon. aloës & sief rubrum Mesües.*

De

De secunda curationis Methodo ſtatuo eam, fidemque facio expertus, eſſe fugiendam planè: eſcarotica quippe, eò loci, ſine ſummo dolore, nec tutò applicari poſſe, dudùm Hildanus ſtatuit; liqueſcente, videlicet, corrodente materia; etſi oleoſa, huic partique inſperſa, cautè; primò; vicinas facilè infeſtat partes adfluente liquore, terminos præſcriptos, nempè, egrediente, aut virtutem amittente operandi ad normam; addo ſecundò; excitato in parte affecta, dolore, partes quoque circumjacentes intumeſcere & tertiò;

Hunc morbum mox concomitari alios, puta inflammationem & cum febre vigilias &c.

Ad tertium propositum filis, pilis &c. poſſe conſtringi, attenuari, ligari; ut tandem cadat exſiccata excreſcentia, annuerim, ex comparatione cum ſimilibus, in aliis corporis noſtri partibus, operationibus; modò circa principium inſtrumento comprehendi laqueuſque ad ipſum mali fundum deſcendere queat; de quo dubito; cum peduneulo lato; nunquam verò tereti ortum debeat ſuum;

Sed quia hoc artificium eò loci & reſpectu non exercuerim ipſe, nec ab quoquam celebratum vidi, illud aliis relinquo in integrum & (ut autumo) ſine fructu, tentandum.

Ut mentem meam de quarta methodo capias probè; aperiam (Lector Chirurge) quid in ea mihi contigerit; jucundiorem tibi ſuſcepti vovens laboris exitum.

Acceſſit ad me, menſe Januario A°. 1693. Hagæ-comitis, Cæmentarius, ætate quinquagenarius, corpore robuſtus, ex ſiniſtri oculi prædicto laborans morbo. Diſtuliſſem mitiorem in tempeſtatis periodum curationis conamen; verùm urgente quotidie ægro inſtigantibuſque doctiſſ. Viris medico Liebergio Chirurgoque van KEMPE, quibus idem de hoc morbi

genere Judicium],malo inſuper abeunte in pejus, de die in diem illud differre, inexorabilis, nolui.

Ægro collocato in ſedili, capite retrorſum ſupinato, oculoque ſano velamine cooperto linteo, injecit famulus manus dextræ digitum minorem ſuperiori, ſiniſtræ pollicem inferiori palpebræ haſceque detinuit apertas firmiter. Juſſi verteret; ne glandula infeſtaretur lacrymalis, ad encanthum minorem, oculi Bulbum æger, quod præſtitit: opportunitatem nactus optatam, oculi ſpeculo annuloque inutili, hoc in negotio, ſupellectili, in uſum non vocato, depoſitionem excreſcentiæ aggrediebar; ſed hamulo acuto (talis autem requirebatur) perruptâ laceratâque non ſemel excreſcentiâ, ad extima ora tenuiſſima eo die; etſi parùm efflueret ſanguinis, iterùm &, ut verebar, irritò tentare, ratum duxi nequaquam eoque minùs, cum jam didiciſſem, compreſſione palpebrarum continua, excreſcentiam ſubjectæ agglutinari tantùm; non verò uniri cum tunica hoc & Caſſium obſervaſſe olim, memoriæ eſt proditum. Ne itaque, eodem tentaſſe modo, noceret ulteriùs, alium experiri volui. Paratâ volſellâ, alis inſtructâ exaſperatis, ægro, ut ante, conſtituto limbum (unguis) excreſcentiæ elevavi, ipſa porrò ſequebatur, uſque ad principium, ſive exortum. Toto & quantùm potui radicitùs, forfice acuminato, abſciſſo Pterygio; ſubtiliſſimum carptum in vitrioli cyprini ſolutione coctum poſteaque exſiccatum vulneri applicui; quod, cum parùm itidem efflueret ſanguinis, vel liquidi, parti mox læſæ adhæſit firmiter. Quatriduum tractata S. A. *ſolut. ſachar. ſatur. carptoq.* prædicto, pulvillis, de minoribus parte compreſſa læſa palpebriſque motis & fultis cartulâ madidâ; quinto fungoſitatis nihil expullulante omnique ſexto die, ſepoſito apparatu, rem in vado meque in

portu

portu navigare mihi persuadebam ; Sed spe excidi : post pruritum enim violentiorem, erupit denuò ; renuente porrò moroso ægro, alia experiri, ipsum calamitati suæ tradere coactus fui & invitus.

Ex iterata inspectione compertum habeo, ipsius adnatæ tunicæ substantiam, fungosæ instar lamellæ, reflexo, sive incurvato vulneris, vel rupturæ limbo, in reliquum ejus volvi corpus & ad et in ipsam quandoque extendi corneam; quare autem ad pupillam semper vergat? ratio videtur, quod encantho majore glandulâ insigni impleto, liberiùs alterâ viâ extendi & incrementum capere potest.

Hinc postea, ubi vel minima præfati mali signa mihi apparuere; quinimò si vel solida quædam suspicio incertum me detineret; per cannulam æneam (vicinis partibus, secundum artem munitis, de quo præsidio latius alibi) ignitum stylum ad mali faciem proportionatum, parti adhibere non neglexi, quod tentamen mihi è voto successit semper. Exemplum si velis, in promptu est;

Ut constans, hoc in conamine, meticulosis sit animus, hac utantur, nempè, à majore ad minus, ratiocinandi methodo. Si tunica cornea lædi, eum in modum, potest; ut lamellula quædam ab ipsa separetur & laceratio tamen hæc, vulnusve hoc consolidetur, sine visus discrimine, vel depravatione insigni; ut exemplis probatum habemus multifariis; quid est, quominùs huic (adnatæ) membranæ, parti, nempè, exteriori & visus, propriè dictum organum non integranti, hoc modo, non posset, sine discrimine, injici plaga atque crustula? quæ (oportet enim in mali initio fiat) ipsam deprimens desiccansque excrescentiam, suapte virtute, peracto suo munere, de parte cadit quondam affecta.

Qui hisce contemplatis nihilominus contendunt Unguem & Pannum specie, non genere differre; quia in utroque morbo

bo tunica adnata semper ejusque partes vicinæ aliquando infestantur, æquè bellè probaverit, ossium fracturam ab eorum carie, specie, non genere differre; quia in utroque morbo ossa eorumque partes vicinæ infestantur. Ignoscat (Lect: Beniv:) me repetere morbi (UNGUIS) ipsius tunicæ substantiæ, (PANNI) esse per & in ejus corpore vasorum sanguiferorum luxuriantem protuberantiam. Arrodant, in contrariam opinionem, qui volunt, ungues suos! ego, ab mea, ne latum quidem unguem discedam; nisi aliter edoctus.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM QUARTA; DE

ENCANTHIDE.

DUabus præcedentibus hanc (*Lect: Beniv:*) adjicio exercitationem; quoniam multa in iis occurrunt, quibus vicissim & mutuò, quædam asserta dilucidantur confirmanturque ulterius. Morbus hic, ab quem occupat loco, nomen adipiscitur estque nequaquàm carunculæ, sive glandulæ lacrymalis; sed verò ipsius tunicæ adnatæ, ad utrumque oculi encanthum laxè complicatæ, in tumorem rotundum, pedunculo insistens expullulatio, excrescentia; differens ab UNGUE & PANNO, quod mox in lamellam extensa, absque tunicæ adnatæ ruptura ejusque inverso limbo, vel, luxuriantibus in planum, vasculis sanguiferis, oriatur; extus pelliculâ tegatur, pedetentim crescat & crescendo mollescat.

In initio naturalis, postea verò rubicundi lividique coloris reperitur; inveterata, tuberculis protuberans variis, facilè excoriatur carcinomatisque adinstar tandem putrescendo, fœtorem & parti mortem infert. Si, UNGUE non probè curato, tuberculum restitet, aut ipse UNGUIS iterum propullulet, ENCANTHIS est minimè: nullo etenim involucro tectus, circumvolvuntur ejus ora marginesque & denuò ad corneam prorepunt; cum in ENCANTHIDE, ipse tumor pelliculâ obvolutus, in rotundam semper propullulet formam: malè itaque & ut notanda inter hujus tumoris differentias, recensetur ab quibusdam, *lacrymis nunc, tunc verò non tumescere; fluere aliquando ex* ENCANTHIDE *lacrymas usque*

imò in genas: glans quippe lacrimalis hac in affectione, primariò non infestatur; quod si verò illa vitio laboret aliquo, non ENCANTHIS; sed alterius generis alioque titulo denotandum ejusque ruptura, læsiove lymphæductus, aut hydatidis erit: ab compressione prorumpentis ENCANTHIDIS, in glandosum hoc corpus, liquidum ejus posse expelli, nullus dubito; verùm hoc ubi fit, duplex statui debebit affectio, glandulæ, nempè, lacrymalis & ENCANTHIDIS.

Hac ex morbi (ENCANTHIDIS) descriptione, vera elici poterit, eum curandi, norma: posse, videlicet, ne ab ipsissimo quidem ejus initio, medicamentis corrodentibus reprimi, coerceri quod si quis tamen tentaverit, malè egerit: *Primò*, enim, parti expullulanti & adhuc pelliculâ circumscriptæ, opportunitatem præbet ulterius faciliusque progrediundi lasciveque luxuriandi; si eam ei ademerit; corrosionis autèm scopus & prior est effectus ut exteriora adimantur, consumantur. *Secundò*, quæ in UNGUE ab escaroticis acribusque medicamentis discrimina, eadem illa, hoc in morbo, metuenda veniunt: quocirca alia in usum vocanda sunt media, & quidem merè Chirurgica; non autem præcoci festinatione præviaque sine aliqua curationis adhibitione, ad cauteria actualia currendum. Constringendus, filo serico, aureo &c: pedunculo enim instar, mox ubi limites egressus, palpebras elevare & elevatas sustinere, valet tumor; palpebras autem, ob earum teneritudinem, frequentem dehiscentiam & minus strictam clausuram circa encanthos, itidem ob glandulæ lacrymalis protuberantiam ad minimam quoque, ab interiore parte, pressionem, facilè cedere; norunt omnes Medico-chirurgorum filii adepti.

Si quis cadente, vel lapso jam, tumore, eum locum, sive pedunculi reliquias vestigiaque inustione exsiccanda censeat, id agat, methodo modò præscripta, per cannulam ad rei exigentiam efformatam: dempto etenim tumore, patet ad hanc operationem via, quæ præclusa, ipso tumore, funditus cauterium fugit actuale.

Sunt qui, ex veterum doctrina, ipso tumore acu transfixo, aut volsellâ comprehenso atque elevato, eum resecant, quod mox, id est, ab ipsius morbi initio, quando vix seminis cannabini magnitudi-

nitudinem obtinet, feliciter fuisse factum, verisimile videtur; addo autèm & eo quoque in casu opportere, inuratur cruenta pars; etsi ejus sit tenuitatis, parvitatis; ut de exsiccatione nullum instare videatur dubium, aut discrimen: quod si quis hoc nolit, contegat gypso undique & sæpius plagulam. Idem illud observandum autumo, quoties (minutulus quamvis) hujus indolis tumor, de aliis corporis partibus, forfice fuerit abscissus; quòd autèm prævia, sine constrictione, me suasore, fiet nunquam, edoctus excrescentias hasce facilè luxuriem repetere; imò & superare pristinam, violentiâ.

Ut quæ sunt affirmata, exemplo illustrentur, audi (*Lect. Ben.*) quam passa sit hujus affectionis recidivam, *Amstelædami* ANNA LEENARDS, sacchari depuratoris ancilla: A°. 1670. ei Encanthidis progeniem novam abstulerat peritus quidam Chirurgus, cui etiam primitias artis meæ debeo; ut impatiens moræ hic: operam enim luserat per aliquot dies & incommodi ægra, quod ab non aptè clausa palpebra levique; sed continuo pruritu, persentiscebat oculique deformitatem, juventute in viridi, verita: itur ergo ad volsellam forficemque confestim; ut dixerim quod res est, actum factumque, ictu temporis, abscissionis artificium, vidi: præscripto *alb. ovor. cum alum. conquass.* discipulis cura porrò mandata, operæpretium non duxit posterâ, nec quibusdam sequentibus diebus, malum ab ipso inspiceretur; donec queritante ægrâ meque monente, illusisse conatus suos, inopinatam recidivam, comperiret, tumorem expullulare denuò; verùm nulla pelle crustulâve tectum: quantæ molis postea hæc fuerit curatio (peracta tamen fuit) nemo paucis dixerit. Summa autem rei in eo consistit (prætereo frustra adhibita, ut erant *trochisc. alb. ras. pulv. ireos*, *vitriolata variæ præparationis*, *leviuscula caustica &c*) ægram indefessa gypsi & interdum *alumi-*

nis recenter usti (*NB*) applicatione, fuisse restitutam, opitulabaturque quàm maximè contra morbum, quod ægra leviore digito, partem affectam, ut supra, instructam, die; noctu verò machinâ ex charta majore (vocant **boordpapier**) madida, teneret depressam.

De gypso (etsi hoc supra monuerim) monitum denuò velim; esse exsiccans, præ multis, in hujusmodi morbis, excoriationibus non malignis atque hæmorrhagiis plurimis, commendabile & maximi usus, remedium.

Hoc, quod juvenis, jam tum didiceram, in meam propriam & ægrotantium convertere utilitatem, postea neglexi nunquam:

Ita A°. MDCLXXX, *Amstelædami* Juvenem VANDER VOORT, juxta me & clariss. medic. in consilium vocatorum QUINÆ & STAMHORSTII suffragia, ex ENCANTHIDE laborantem medicamentisque desiccantibus intus & escharoticis extus, magis imbutum & vexatum, quàm adjutum, vel liberatum fœminamque unà cum famigeratissimo olim Chirurgo & Botanico ejus urbis, VINKIO; uti & *Hagæ-comitum* signiferum in Cohorte præsidiaria ducis TORSEI & hac in civitate *Lugd. in Batavis*, rogatus à diaconis ecclesiæ Walonensis, pauperculam (actum hunc, cum disciplinæ meæ cultoribus, præsentiâ suâ; cohonestante celeberrimo quondam Medico COSSONIO) methodo enarrata, adhibitis secundum artem cicatricem extruentibus, curavi feliciter, intactâ; nisi ex alterius mali consensu, illæsâ conservatâque, in omnibus, lacrymali glandulâ;

Sed confido te (*Lect. Beniv.*) exemplorum plus non expetere, utpote à priore de morbi indole probè instructum facilèque mecum affirmaturùm, ENCANTHIDEM in RHYADEM converti nunquam; verùm ex ENCANTHIDE & RHYADE simul, unum eundemque & eodem tempore, posse laborare oculum.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM QUINTA;

DE

JUVENI TUBICINI, EXTIRPATA MAMMILLA.

Anno MDCCIV, *Sylvamducis* vocatus in consilium, cum Medicis, clariss: quondam Lobelio & Basselesio, Medico *Ultrajecti ad Rhenum* sagaciter feliciterque praxin exercente, opitulaturis nobilissimæ cuidam matronæ, convulsionibus gravissimisque aliis symptomatibus correptæ, meo quoque examini sese, hac opportunitate, subjecit Juvenis JACOBUS DE CELON, ætate annor: XXII, natione Gelrus, corpore validus, nobilissimo D^no^. de LYNDEN de PARK turmæ, in cohorte comitis de ALBEMARLE (vocant de *Carabyniers*) magistro, tubicen; magna laborans ex dextræ mammillæ intumescentia, enarrans, se ante quatuor, ab eo tempore, annos, venatum egressum; fervore nimio in prædam agitatum, sclopetum, ultra solitam mensuram, pulvere nitrato, oneravisse ac explevisse in objectum animal ejusque ex retromotu violentaque concussione in mammillam mox, cum livore (echymosi) & dolore, intumescentiam observasse; sed vero adhibito spiritu vini, illas hasce omnes evanuisse appari-

 tiones,

tiones, unâ relictâ; verùm vix fabæ magnitudinis, induratâ glandulâ eamque, post aliquot menses, incepisse augeri; ita ut intra sesqui annum pugni magnitudinem superaret sensimque tandemque lactitantis mammæ formam præ se ferret: quoniam autem, nunquam dolore infestaretur & officio suo non planè sese experiretur imparem & insuper quidam Chirurgi & circulatores asseverarent, hunc periculo vacuum tumorem, utpotè solummodò flatulentum temporisque tractu evanesciturum, id onus clanculum gestitavisse usque, dum & tubæ inflationem equitationisque succussationisque actum sustinere non valeret.

Quibus, interea temporis, usus fuerit remediis, quandoquidem ex iis solaminis receperit nihil, vergente continuò in pejus malo, non referam exactè: quid enim juvat inutilia; quinimò nociva retulisse? Quod si verò cuidam videatur utile, etiam ex aliorum erroribus erudiatur, noverit is, huic illi mammillæ fuisse imposita cataplasmata maturantia, Empl. varia ex Gummis & similia, quæ omnia, indole morbi cognita, vix & ne vix quidem ab viro Medico-Chirurgo, hujus generis morbis, absque peccato, applicari posse videntur: schirrhum etenim verum, ne vel quisquam, extra miraculum, resolvit, aut ad maturitatem perduxit: nam etsi in variis multiplicibusque schirrhosis tumoribus, quod in & circa glandulam glandulasve infestatas, induratas, usu privatas, liquidum resolvatur, extat; induratur ipse tamen schirrhus, ipsæ glandulæ infestatæ, induratæ usuque privatæ substantia atque sic istius glandosi corporis dispositio non resolvitur, aut in pus convertitur.

Quod tamen viris quibusdam honorandis quoque Chirurgis imponit phænomenon, est, resolutionis quorundam tumorum initium felix atque intus exhibitis medicamentis, sanguinis

ſanguinis maſſam & actum emendantibus, evaporationis compacti & peccantis liquidi, veritatem rei & effectum verum eludens ſpes.

Aſtverò quod ſolidum fuit ab initio noſtri fieri inque ſoliditatem ulteriorem eſt factum, id in liquidum reſolvi poteſt (actu præternaturali excepto) nunquam: contractis quippe contritis maceratisque, quocunque modo ſuppoſuerit quiſquam, ſolidis, habebunt, obtinebunt æternùm ſuæ fabricæ vel; ut me, etſi barbarè; ſed tamen intelligibilius exprimam, ſui eſſe, eſſentiam, ſive manebunt, indole, ſolida.

Omni in anteceſſum hauſta, tum ex ægro, tum ex iis, qui ei ab medicatione, aut conſuetudine fuiſſent, informatione, ipſe hujus mali examini me applicui detexique mox, Primò; in mammilla ſchirrhum, 2dò; axillam, imò utramque, nulla glandularum duritie, aut intumeſcentiâ infeſtatam; hoc autem ſymptoma, vel potius hic, ſi mammæ ſchirrhoſæ, comes ſit morbus, raro illius fit, abſque recidiva, extirpatio, quocunque inſtituatur methodo.

Sed permitte (*Lector Chirurgophile*) te ad hunc terminum ſiſtam! verum etſi ſit, mammæ ſchirrhoſæ abſciſſionem & vel minimâ quoque axillæ glandulâ induratâ, non abſque recidivæ periculo fieri; dantur tamen caſus atque neceſſitates eum urgentes in modum; ut tentaviſſe eam videatur æquum juſtumque danturque in quibus, axillâ nullo morbo infeſtatâ ſchirrhoque, ſecundum artem & probè extirpato, tamen ſucceſſu caret operatio: ſic ego HAGÆ COMITUM A°. MDCXCV, ſimili verſabar in dubio moleſtoque negotio; quod tamen non aggrediebar ſolus & ſine multorum artis Chirurgices peritorum prævio et iterato conſilio ac perſuaſione multa; ne autem nobiliſſima ars nomenque meum detrimenti quid ex inde pateretur (ſolent enim,

cum ineptis, invidi et ſcioli, ubi eventus actis reſpondere non videtur, in acta actoremque debacchari vehementer) quod ſequitur, idiomate belgico exaratum et jam nunc in latinum tranſlatum, mihi eſt oblatum ſcriptum, quod velim præſertim legant noſtræ artis tyrones diſcantque hoc modo in dubio negotio cautè mercari turbidoque in mari piſcari prudenter; ne decepti et icti ſerò ſapiant.

Hage 14. *Mey*, 1695.

Wy ondergeſchreevene Medicijns en Chirurgijns; hebbende met den anderen / en ieder voor zich / gezien / geëxamineerd / en wel overwoogen het accident in de borſt van JUFFr. JENBELEIN oordeelen / dat het zelve niet in ſtaat te houden / veel minder te geneezen is / dan door eene exſtirpatie van den geheelen borſt: en alhoewel wy alle / en ieder in het bizonder / groote zwaarigheid in de actie der exſtirpatie zien; nochthans ons vertrouwende op de genaadige hulpe Godes! hebben wy den PROFESSOR BIDLOO verzogt / geraaden / en aangemoedigd het Werk in Gods Naam te doen; die hier van ook kenniſſe aan de Hoog-Achtb: Burgemeeſteren van den Haage heeft gegeeven.

D. Liebergen. *Van Wouw.* *Joh. Fred. Helvetius.*

Jalon. *M. v. Reverhorſt.*

Chriſtianus Fridericus Schuman. Med. Doct. *C. Drelincurtius.*

A. Stuckery.

Fred. van Kempe.

Nos infra scripti med: doctores & Chirurgi examinato & sedulò perlustrato tumore ab nobis omnibus & singulis, in mamma Virginis JEMBLEIN *extante; judicamus & statuimus, eum non posse, in statu quo est, detineri; multò minus curari, sine extirpatione totius schirrhosæ mammæ & quamvis omnes & singuli ipsa in extirpationis actu difficultatis multum vereamur; tamen Deo ejusque gratiæ! confidentes, rogavimus & persuadere animumque addere sumus moliti Prof:* BIDLOO, *ægregium hoc, in nomine Dei! auspicaretur facinus quodque consentiente nobiliss. & ampliss. Magistratu* HAGÆ-COMITUM, *est aggressus.*

D. LIEBERGEN. N. WOUW. JOH. FRED. HELVETIUS.

JALON. M. v. REVERHORST.

CHR. FRED. SCHUMAN.
Med. Doct.

C. DRELINCURTIUS.

A. STUCKERY.

FRED. van KEMPE.

Datum Hagæ-Comitis,
A. MDCXCV. XIV Maji.

Abstuli porrò, præsentibus prædictis Viris, solo Cl. dempto DRELINCURTIO, teneræ staturæ virgini huic, schirrhosam hanc sarcinam, quæ, 4tâ horâ, post extipartionem, quatuordecim librarum comperiebatur; vixit aliquot annos postea doloris expers & vegetè; sed non sine ulceris, nunc quasi consolidati; nunc verò excoriati & aperti pseudoque carne luxuriantis, redincremento, fœtore multaque molestia. Priusquam autem typis exponerem hanc observationem, quæ sequuntur Clariss: Viro M. v. RE-

VERHORST, HAGÆ COMITUM, hoc tempore Anat: & Chirurg: Doct: publico, dedi videbitque Lector, ex ejus responsoriis, ulteriorem præfatæ historiæ explanationem.

Viro Nobilissimo

M. v. REVERHORST,

Med. & Anatom. Doct. publico,

S

G. BIDLOO.

Imprimitur exercitationum Anatomico-Chirurgicarum mearum decas secunda, in qua, cum, in transitu, verba faciam de virgine JEMBLEIN, *rogo me certum facias, utrum illo de casu, cui interfuisti à principio ad finem, aliquid scripto mandaveris? quod si sic, illud mihi tradas conferendum, cum illo, quod egomet, in ejus memoriam, exaravi: devinctum me habueris & paratum, ad similia officia, huic si meæ petitioni satisfeceris quantocyus. Vale.*

Dabam Lugduni in Batavis,
XXVI Junii, A. MDCCVII.

Viro

Viro Celeberrimo

D. G. BIDLOO

Anatomicorum hujus ævi facile Principi.

S. P. D.

M. v. REVERHORST.

Admodum doleo me petitioni vestræ circa Casum Virginis MARIÆ MAGDALENÆ DE JEMBLEIN, *non posse satisfacere; utpotè qui olim pauca tantum de casu illo notavi, quumque jam duodecim anni sint elapsi, quantâ curâ quæsiverim, non potui tamen invenire illa, quæ tum temporis notaveram. Illa autem, quæ memoria fert, libentèr referam: nimirum quod Dominatio Vestra, quum primùm Operatio institueretur; abstulerit cultro tumidam Mammam, pendentem libras quatuordecim mercatorias, quæ quum ablata esset, quamvis Operatio dexterrimè fuisset instituta, nullâ substantiâ peregrinâ remanente, tamen indies iterùm accrevit, præcipue Mensibus instantibus; & quamvis hæc Substantia de novo continuo succrescens, secundum artem idoneis Medicamentis, & reprimeretur, & auferretur, & plusquam semel omnis curata videretur; semper tamen Vernali tempore tumoribus bullosis iterùm pullulabat, quibus ruptis de novo, & viribus quasi collectis augebatur indies. Illa vero firmo animo hoc malum per quinquennium tulit, quo tempore plus quam quadraginta libræ illius substantiæ luxuriantis ablatæ fuere,*

donec malum ſenſim magis magiſque augens & ſanguineæ atque Lymphaticæ Maſſæ labem ſuam adſpergens viresque terens, & jam non tantum ipſas Axillares Glandulas occupans, ſed & verſus ipſum Dorſum latius repens, tandem hujus noſtrae patientis vitam cum morte mutavit, finemque doloribus impoſuit. Miratu dignum eſt hancce Virginem toto illo tempore non tantum exercitia ſua aſſueta & domeſtica ſatis alacrem peregiſſe, ſed etiam quam vehementer Medicamentis Eſcaroticis vellicaretur, ferrove tentaretur, poſt deligationem inſtitutam, ſemper aeque hilarem fuiſſe, & quum exiret, vel rebus ſacris, vel aliis conſortiis intereſſet, neminem potuiſſe animadvertere hoc ipſius Malum; nec potuerat illa aliam hujus mali cauſam & originem excogitare, quam inopinatum nuntium mortis Mariae P. M. Magnae Brittanniae Reginae, cujus favore, prae caeteris, fidei de cauſâ ex Gallia profugis, fruebatur, menſium ſuppreſſionem intulit, & hinc, ut mihi ſaepius retulit, illae lachrymae.

Hagæ - Comitum
28 Juny 1707.

Simile quid, aliam in partem, me & aliis Medico-Chirurgis agentibus & ancipiti ejus molimini annuentibus, tentavit olim AMSTELÆDAMI, quo non præſtantior alter, Chirurgus P. ADRIAN. VERDUYN: experientes enim fœminæ cuidam ſublingualium glandularum fungoſam luxuriem, nullis medicamentis; imò & ne inuſtione quidem deprimendam, minari mortem (implebatur quippe ei totum & undique os; ita ut reſpirare, ſumma ſine difficultate, vel alimenti quicquam deglutire non poſſet) æquum juſtumque judicavi-

judicavimus, præsenti & prementi vitæ occurrere discrimini: resecta ergo ei, de die in diem (cultro ad excrescentiæ & oris figuram fabricato) pars fuit superficialis atque hoc toties, quoties videbatur necessum hocque modo misera, non curanda integrè, diu sustinuit vitam, vel; si mavis, diro satisfecit vitæ amori.

Omnibus, in ægro nostro, ad requisitam curationis normam, conspirantibus circumstantiis felicemque eventum prænuntiantibus, puta ætate, animi vigore cæteroque corporis habitu, cum regione ac anni tempestate persuasionis parum opus erat; ut æger sese mammillæ subjiceret extirpationi; verebundus tamen rogans; imò & efflagitans, audiremus quendam istius civitatis pharmacopœum, asseverantem se hunc schirrhum, cute solummodò fissa, exemturum curaturumque brevissimo temporis spatio. Huic ejus petitioni satisfactum est mox; sed testor Medicinæ præsidem verum, unicum! ut ineptè & insulsè iste ille nimium audax garrierit, de hoc morbo ejusque curatione, alipta: nam etsi ei ad oculum, ad digitum, ab nobis demonstraretur, papillam mammillæque glandulas intricatissimè ex vasorum multigenorum in-et emissione in-et de cute, nexu planè insolubili coivisse, perfrictæ frontis Homo nihilominus jurejurando multaque verba canora eructando, prætendebat, promittebatque hanc molem ab cute solubilem & ex ea posse eximi; verùm nobis, annuente nostræ sententiæ, etiam experientiss: Chirurgo MULLERO, futile hoc ejus adspernantibus assertum, petiit ab me æger, liceret ipsi me sequi *Lugdunum in Bat:* meaque uti, cum consilio, manu & medicatione, cui voto, illud urgentibus prædictis viris medicis, familiâ illustriss: *Keppelianâ* inque mora periculo, adstipulatus, opus cum bono Deo! XIII mensis Maji, peregi.

Quibus, hoc in caſu ſimilibuſque ſemper, inſtrumentis, ligaturis, faſciis, medicamentis (aliis enim, quàm alii utuntur, utor) brevi, qua methodo, mammas extirpandas excipio, noviſſe, videtur intereſſe reipublicæ Chirurgicæ; mea ut poſtea premant ſequanturque, ab ipſis juxta rationem & eorum experientiam probata, vel evitent, eadem conditione, improbata, veſtigia, artis noſtræ cultores.

Ægri, vel ægræ, in ſedili altiore locatorum axillæ, ad mammillam, videlicet, affectam, injicio majuſculam pilam; deinde, in terga contortis brachiis; ut manus manum apprehendat, vel vinciri utraque poſſit, prominente hoc modo pectore, arripio manu mea una, tumorem eique adhibeo alterâ, ligaturam tenuem, vocant fœminæ noſtræ **een Vlecht-of Hairznoer** eamque multa circulatione paulatim ſtrictius & tandem firmiter contrahendo, efficio, protuberet exſurgatque integer & totus; mox eum, parte ab una, transfigo uſque dum ad manubrium pervenerit excipioque proximè ad, vel per muſculum pectoralem, furcâ, ſive bidente, (vide tab. I. litt. A.) quod ſi verò duriſſimus, parvus cutique fuerit annexus inſolubiliter, ſtylo (vide tab. I. litt. B.) delineatis cultroque eâdem tabulâ, litt. C. deſignato, parte incipiens â ſuperiore deprimenſque in actus initio & elevans poſtea bidentis manubrium, abſcindo omne illud, quod peccare videtur: permitto porrò ſanguinis una, aut altera effluat uncia vulnerique injicio, cum multo carpto, in ſubtiliſſimum pulverem redactum, gypſum, cui, in majorum arteriarum truncatione, hepatis vitulini toſti itidemque in pulverem impalpabilem verſi, ad gypſi libram ſemis, uncias duas admiſceo; ſed verò in mammarum extirpatione, nemo oportet ſit ſollicitus de hæmorrhagia ſiſtenda, utpote in quibus exiles ſolummodò abſcinduntur arteriae;

Tab: I.



riae ; venas autem quod attinet , etiam varicum modo turgentes, quis eſt qui periculum vereatur?

Ligaturâ deinceps *Thoraci*, vel *Cataphractâ*, pulvillis ad claviculas diaphragmatiſque circumferentiam , diſpoſitis, confirmo prædictum apparatum, quem, ſequente die, ſolvo & ſemper liquore requiſito purulentoque conſperſum detego, adhibens latam poſtea faſciam vinculis ornatam: ulcus quod jam tum proſtat recens, in principio digeſtivis & Balſamicis Medicamentis ejusque margines labiaque *emplaſtro diapomph:* illaque multo carpto, exorno; verùm etſi deſiccari hoc debeat ulcus , id tamen , feſtinanter fiat, convenit minimè: cruſtâ quippe obducitur & areſcit, cum ægrotantis damno, facillimè; quam curationis accelerationem immodicam , ex *mellis roſacei* adhibitione , poſt ſextum ab extirpatione , diem, non ſine multa moleſtia, correxi vitavique poſtea ſedulò.

Sic ſoleo (*Lector Chirurge*) eas eoſque tractitare, de quibus nobis ſermo eſt; quod ſi, dum de memet-ipſo loquor, verba, quæ ſatis modeſta ac minimè jactabunda videri poſſent , invenire valerem , enarrarem , jam nunc, multifariam, hoc de morbo, meam experientiam; ſed eam, commemorandam trado atque relinquo Medicis & Chirurgis, quorum multi hoc tempore vivunt, qui unius anni, videlicet, 1679, ſpatio, me vigeſies bis hunc actum celebrantem viderunt & non reprehenderunt dicam ? an laudaverunt: adjicerem etiamnum hiſce, vel iis, ſuprà, inſeruiſſem, rationes, ob quas multorum Clariſſimorum Virorum Medico-chirurgorum inſtrumentis apparatuque non utar eorumque agendi methodum non probem, rejectem; ſed eos, quos propter celebratam amicitiam ſtudiique Chirurgici amorem reſque ſæpius egregiè alias præſtitas, veneror,

repre-

reprehendere (salvâ ſemper republicâ Anatomico-chirurgicâ) cum minus mihi in votis, quàm meliora docere, ſit; ſtatuo, exemplo meo monſtrante viam, eam ingreſſuros omnes artis noſtræ fautores, quos præjudicium, nec invidia occæcavit cum oculis, mentem; ſed redeo, de qua parumper ſum egreſſus, in viam.

Tubicinis noſtri, prædicto modo, ablatam mammillam, eodem die, perluſtravi anatomicè; verùm in ea nihil, quod ſchirrhum non ſaperet, reperimus, excepto, quod hic & alibi, glandulæ quædam levi rubedine extus conſperſæ vaſisque tumentes ſanguiferis, conſpicerentur: ex Chirurgis quiſpiam notabat, liquorem flaveſcentem inſpiſſatumque ex quibuſdam diſſectis manare glandulis: aſt cum frequens illud hoc in morbo ſit, aliquid hac de re ſpecificè monendum, non reor.

Quia autem tota integraque mammilla parſque quædam muſculi pectoralis erat abſciſſa, jucundo oppidò extabat, ſpectaculo, obſervare, per muſculos intercoſtales, pulmonis reciprocum motum: noverit interim, Chrirurgiæ ſtudioſus, minoris eſſe momenti, quàm quidem prædicatur ac reputatur ſchirrhi, ad muſculum pectoralem, adhæſionem, modò, per eum & coſtas quoque non infeſtaverit, cum ulcere; quinimò & eum etiam caſum non eſſe deſperatum: igne quippe, abraſione & medicamentorum applicatione, hoc poſſe curari malum, plus ſemel ſum expertus; mox, poſt extirpationem ſanguiniſque fluxum reſtrictum, loco affecto inſpergens *ung. fuſc.* FELICIS WURSTII, quod, ut egregium, ad corruptorum oſſium deſiccationem & ab integra ejus parte, ſeparationem, commendare auſim ſedulò.

Muſculum pectoralem ejuſque quod ſpectat læſionem qua-

quarundamque ejus tum tendinearum, tum motricium fibratum ablationem, nemo erit anatomicorum, qui non statuat, ex ingenti horum fasciculorum musculosorum serie, quasdam, relictis in integrum multis, magna sine ægrotantis molestia & incommodo, posse resecari; imò verò ego nunquam dubitavi, dummodò de adhæsione prædicta, dubitarem, hujusce musculi partem, unà, cum mammilla, auferre.

Ægro nostro, quatuor, ab extirpatione dierum spatio, optimè sese habente febriculâque symptomaticâ solummodò correpto, supervenit,

10mò; cum nausea, febris violenta; ulcere attamen existente minimè arido, circa illud, mutatum est, respectu medicamentorum, nihil; verùm præscriptus & exhibitus, qui sequitur pulvis antifebrilis;

℞. *Antimon: diaphor:* ℈j ß.
Sal: card: ben: ℈j.
Tart: vitriol: ℈ß. *M.*

19nò; Sperato destitutus successu, sudoris, nempè, emiserat nihil; inveniebam ægrum irrequietum, vigiliis agitatum, sitibundum omnemque fastidientem victum deque dolore plus abdominis, quàm ulceris, queritantem, cum porrò ex emulsione solaminis recepisset parùm atque is ille, qui, cum eo, noctem transegerat planè insomnem, referret eum, cui belli strepitus clamorque virorum clangorque tubarum, ideæ infixi extabant intimius, ea nocte sæpius inter deliria & vociferationes, nunc ore, nunc manu ciere viros in certamen, esse visum, injici ei enema curavi; verùm & illud vix quidquam boni præstans; etsi alvus solveretur, sequentibus verò diebus,

20mò, & 21mò; maneret adstricta, continuante febre;

 22dò;

22dò; Mane, ex *infus. fol. senn.* &c. purgans hauriendum exhibui, cujus beneficio, ter laxata alvo, circa vesperam cecidit in optimæ notæ sudorem, cum anxietatis præcordiorum levamine summo; ita ut is ille, qui viribus fractus, confestim quasi ad multos festinare, circa meridiem

23tiò; Sedili impositus, confestim & totus videretur sanitati restitutus; expetens, videlicet, cibum eoque vesceretur avidè & ne omini huic fausto, aliquid deesse possisset videri, circa vesperam alvum deponeret iterum.

24tò; Ulcus, pure madens laudabili hominemque doloris expertem, nulla febre agitatum; quinimò jocabundum visitavi: enarrati autem symptomatis causa cum me lateret, eam postea, ex ægri hospite, carnium suinarum venditore & lanione, intellexi: ægrum, nempè, lardi recentis concoctique vim devoravisse clanculum. Severa itaque multato reprehensione ægro, curavi ne illud incontinentiæ perpetrare, imprudens valeret imposterùm; monendum autem circa vivendi rationem, sive diætam, hoc in morbo, parvo atque malactico vivat æger victu bibatque dulcem cerevisiam, aut aliud genus lenientis decocti largiter.

Ab hoc temporis termino tota curatio prosperè cessit fuitque absoluta; ita ut æger, intra quatuor septimas, domo exierit atque brevi postmodùm integerrimè restitutus desideratæ sanitati, *Sylvam-ducis* abierit hocque tempore 1707. cohorti ALBEMARLEANÆ Tubicen inserviat.

Quemadmodùm equis generosioribus calcar; ita & studiosis, etiam diligentissimis (quorum in commodum, velim hæ meæ inserviant, cum exercitationibus, monita) absque exprobratione neglecti officii & indolis quasi ineptæ natæ, quandoque incitamentum addi debere, pro comperto illi habebunt, qui eos benè volunt: ex præmissis ergo ab talibus proponi poterunt lemmata. argumenta

dispu-

disputationes, â priore, posteriore, aut problematicè, affirmanda, supponenda, vel neganda; sed verò, non; ut ex iis inepta assurgat cavillatio & pulvis merè scholasticus, in quo, quò plus quisquam sudaverit, eò plus, deridendus athleta, operæ & olei perdiderit semper multum, laurea donandus apollinari nunquam; verùm, ut ea ex dimicatione reportetur, rerum perquirendarum, in usum sacræ reipublicæ medicæ, veritas: hujus autem generis esse poterunt quæstiones:

Pò; *An utriusque sexus mammæ ejusdem sint dispositionis, fabricæ, structuræ? conveniantque, hoc respectu, cum iis, ubera brutorum ac ferarum?*

2dò; *An lac, quod in iis reperitur, ejusdem sit oportet indolis?*

3tiò; *Statimne & foetu modò nato? an post aliquot, ab nativitate dies, lac de mammis utriusque sexus deprimendum veniat? illudque fœminis, quibus in animo est infantes nutrici lactitandos tradere, ad desiccandos fontes lactis, ob-an prosit? de Amasonibus autem iisque extirpanda mamma non me lassabit negotium, quod volens & lubens doctiss: Literatissimisque* PALÆPHATIS, PETITIS *eorumque sequacibus, decernendum relinquo.*

4tò; *An lac, quod in mammillis, Masculini Sexus, eo nato, semper reperitur, labris eliciendo & crebrò exercendo, postmodùm, fluere non debeat, usque imò ad provectiorem ætatem?*

5tò; *An hoc modo æquè mas & fœmina, posset præstare infanti officium nutritionis per Mammas & lac ex iis hauriendum?*

6tò; *An non videatur ridiculum? statuere; foetum, in utero, per os, suctu propriarum mammarum lac reci-*

pere & ita nutriri? cui possibilitati & ultrò videtur obstare pectoris fabrica.

7mò; *An non œconomiæ animalis (ut vocant) completi, respondere magis videatur?* Lac, *sive ejus cremorem, de mammis stillitantem ac superficiei liquoris cui innatat fœtus, supernatentem, vi & actu elastico musculosi organi, uteri ejus ori intrudi, imprimi?*

8vò; *An non lactitans, lactitante aptior sit, quæ concipiat?*

9nò; *An lac, in mammis, fœminis viro utentibus, signo ingravidationis haberi debeat?*

Xmò; *An, â nativitate, singulis mensibus eorumque singula & justa periodo, vel nunquam; nisi post receptum virum (utriusque enim propositi exemplum* Amstelædami *est peperitque utraque non semel & feliciter) menstruantibus, eadem prolificandi ratio sit?*

XImò, *An illa, quæ dum uterum gerit, singulis mensibus largiter, vel quæ eo tempore parcè; sed continuò, menstruatur fœtum producere valeant sanum beneque constitutum?*

XIImò; *An hoc in casu prægnans, vel ejus embryo? an veró utriusque vita simul in discrimine versetur?*

XIIImò; *An, foetu uterum implente, mammæ turgere inque iis lac confici necessario debeat?*

Faxit Deus! ut hoc modo ferveat redoleatque sapientiæ thymo opus Academicum, cum nobilissimo Studio Physico-Medico & Anatomico-Chirurgico sitque memor, cum Præceptore, Discipulus, quod;

Multa sacro tegit involucra, natura.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM SEXTA;

DE

OCULI PROLAPSU.

Sub hoc Titulo; etsi variæ describantur oculorum protuberantiæ, ego *Ecpiesmum*, *Proptosin*, *procidentiam oculique resolutionem excedentiamque*, differre inter sese, cum aliis didici dudum: eo enim venit quorundam incuria; ut *Stamphylomatis* species; imò & *Chemosin*, hoc ad genus & hunc ad morbi titulum referant.

Oculi PROPTOSIS, PROCIDENTIA, de qua mihi impræsentiarum sermo erit, illa est, quâ totus oculi Bulbus cum annexis musculis, adipe & glandulis (quibus & sui sunt morbi speciales deque quibus suo loco) extra osseam orbitam palpebrasque protuberat, propendit, eminet; quod fit cum, vel sine partium oculum constituentium visibili læsione & morbo, magnitudine excepta & distentione nimia, quæ, hoc sensu, morbus est. Secundò; cum, vel sine totius, notanda visus amissione: leve etenim quamvis in initio sit visui damnum, quædam tamen semper & post inveteratum, nec curatum morbum major tandemque maxima visioni manet jactura. Est partibus singulis sua magnitudo, dispositio, quâ omnes sibi constant & inter sese proportione requisita ad usum, conveniunt, respondent; unde justâ major omnis earum excedentia, extuberantia, morbus renuntianda; rarenter autem; si unquam, eousque, ut supra innui, oculus protuberat; quin & simul visum amittat.

Vidi, ante sex annos, *Londini*, virum robustum, cui ambo

oculi, horrendum in modum protuberabant: quod ad ipsam partium dispositionem, illam genuinam observavi, præterquam quod ipsis pupilla majuscula, cæsius color & insolita esset cum duritie magnitudo; visu tamen utrumque destitutum omni expertus sum; inquirens in causam, accepi, inter luctandum ab adversario suo, irâ, gymnasticas, vel luctationis anglicanæ, leges excedente, pollices fuisse oculorum orbitis intrusos hominemque mox, nullo inflicto vulnere, dolore correptum summo, non medicis, non chirurgis; sed visu restitisse orbum oculosque magis magisque distendi atque protuberare, quandoque cum, quandoque sine dolore.

Totius oculi ECPIESMUS, vel PROTUBERANTIA curabilis, illa est, quam potius musculorum relaxationem dixerim: sive enim idvociferatione, partu difficili, respiratione, impedita, vomitione aliave de causa fiat; sufficit manente visu, collegisse, ex partium dispositione, musculos tantùm esse resolutos, distentos præter modum: ipse quippe oculus debitam servat magnitudinem palpebræque ad bulbi latera, vel inferius hemisphærium. Pristinum ut in locum hi prominentes reducantur oculi, imprimunt quidam suturæ coronali, aut temporum arteriis, cauterium; sed quo jure non capio, cum operatio hæc cum oculorum musculis, hoc in casu & respectu: de paralysì enim alia est ratio deque ea speciatim, commune habeat nihil. Tutius manus, tutius pulvilli, carptum, ligaturæ deprimentes, in auxilium, vocantur; quod si propter dolores inflammationesque medicamine opus videatur, audi quo ego usus sum feliciter.

Accersitus *Amstelædami*, in viam (vulgò **de Kerkstraat**) ad pauperculam (cujus nominis non recordor) difficillimo ex partu laborantem, exploratione & examine celebrato omni & prudenter, fœtum offendo mortuum matremque corpore obesiorem; ut me embryulciæ accingo, en! ventris tormina conatusque in partus summos; erumpunt unà cum fœtu insignis umbilico hernia (exomphalos) & oculis protuberantia, prima lævi manuum mearum compressioni;

ſioni; ſecunda verò cedens minimè, umbilico latam ex mantili ligaturam pulvilloſque, ſive compreſſulas; Oculis verò cum multiplici linteolo mox *ſuccum ſedi major. plantagin. ad* ℥ *a* ij. *ſacch. ſaturn.* ʒß; poſtea *ex cortice querno, roſis rubris & vino rubro gallico, decoctionem tepidè injicio.* Ægra hæc reſtituta in integrum ita fuit; ut ſequenti anno, abſque horum omnium ſymptomatum veſtigio, fœtum pepererit maſculinum, vegetum.

Oculus totus quantus, viſu amiſſo toto, immensùm excreſcens orbitamque excedens, cancer ſive, ſive ficus, ſuppuratio, putredo, aut ſphacelus, carieſve oſſis, in causâ ſint, medicamentis curatu eſt difficillimus; multis *in Vitriolum* & *præcipitatum album probè lotum*, aliis *in mercurialia fortitèrque adſtringentia*, refugium eſt; Ego autèm medicamentis, *Lapide* præſertim *infernali*, etſi moderatè uſitato, mederi huic malo non potui: ſepoſitis quippe partibus incruſtatis & in eſcharam deductis demortuisque, expullulantem denuò fungoſam excreſcentiam dolui ſemper; quapropter iteratis horum aliorumque medicamentorum applicationibus palliativam duntaxàt curationem molitus ſum. Corrodentium nihilo minus remediorum poſtea optimum expertus ſum, *Butyrum antimonii mitigatum cum Tinct: croc: vel opii. Penicillo excreſcentiæ, S. artem inſperſum.*

Oculo ab humorum effluxu, extra orbitam diſtento tandemque crepante, cum cornea, uvea dimiſſoque cum pure, vel ichore, quidquid liquidi in ejus cavitate continetur, medela eſt in deſiccantibus, *Vitriolum cyprin: fæces vin: rubr: vet: cort: lig: quer: flor: roſar: balauſt: hiſce conjunge Rad: tormentil: Terr: ſigil: creta:*

Partim conſervatum partimque exciſum, ex hoc morbo infeſtatum, oculum, memoriæ tradidere quidam: quod cum ab me factum, vel ab aliis tentatum nunquam viderim, velim rei & veritatis fides penes hoſce ſcriptores ſit;

Etſi quibuſdam viſum fuerit protuberanti, præfato modo, oculo, filum injicere, conſtringere atque ita putreſcentem oculum de orbita avellere;

lere, aut ante putredinem forcipe & forfice apprehendere & abscindere, vel acu eum trajicere atque ita forfice extirpare; ego tamen sæpius & benè manu cultroque rem peractam ab aliis, legi vidique, ut & ab me ipso & quidem primò ab

MARCELLO VAN DER MAAS, Chirurgo quondam *Amstelœdami* celebri, qui viro nauclero, ætat. XXXVIII. ann. oculum sinistrum deformitèr protuberantem, adeò ut digitis apprehendi removerique palpebræ possent commodè & fœtorem emittentem horrendum, excidit: ortum traxerat morbus hic ab tumore oculi interno, sanie impleto multa; protuberantem quem, prope encanthum majorem, scalpello, post multas, sine fructu adhibitas medicationes, perforaverat quidam Chirurgus; sed puris nihil, saniei & ichoris verò, fœtentis multo erumpente latice, suum agnoverat homo errorem memoratumque confugerat ad Virum, qui etiam plurimis usus mediis, præsertim *pastillis ex calce viva, sapone veneto & mercurio sublimato*, irruente de die in diem & depascente partes internas externasque deformante, livore, fœtore & sphacelo, tandem omnia incassum adhiberi, persuasum sibi habere cogitur; cultello itaque manum applicat remque sequenti methodo, ad finem perducit optandum: altiusculo collocato in sedile brachiisque, ægro in terga devinctis oculorumque obvoluto dextro, auxiliantium Chirurgorum unus; ut potest, cum frontis velamentis palpebram sursum detinet elevatam firmiter. Ipse chirurgus apprehenso detractoque toto de orbita tubere, excisionem, parte inferiore ab encantho majore ad minorem, incipit; deinde eadem methodo, parte superiore, cultro aliquantulum incurvato, apicis, nempè, respectu & manubrii, non verò semilunari, absolvit: verùm non unâ alterâque; sed multiplici incisione, usus tandem forfice

non

non semel. Exciso oculo, totum osseæ orbitæ cavum, carpto, *albumine ovorum pulvereque consperso* implet *stiptico*, obligans & alterum oculum. Nullam notandam hæmorrhagiam exulcerationes, putredinesve in nervi optici, vel aliarum partium velaminibus, nullas observavimus, ut & ne in tenerrima, quidem ossa irrupisse cariem; quod autèm significatu dignum, toto curationis intervallo, tanto nunquam fuisse agitatum dolore ægrum, quanto nuper unâ sæpius horulâ conquestumque fuisse de eo, neque febre correptum graviore unquam. Adhibitis porrò vulneribus hujus commatis adhibendis observatoque vitæ regimine peractisque, pro tempore peragendis, curatus extitit homo. Accino ego euge! benè! feliciter!

Ratio quare nervi optici motoriique læsio hæc, graviora non pepererit symptomata, hæc mihi videtur. P^{o}. ipsi hi nervi, in causa morbi non fuerunt: nervorum quippe truncos benè constitutos vidi. 2do. majores nervi, puta femoris, axillares, &c. obtruncantur, amputantur, læduntur, sine graviorum symptomatum syrmate: eorum enim truncatio proximè, sive ad exitum de ossibus capitis, vel vertebralibus &c. sive ab ipsis longius remota fiat, pro nervi magnitudine & aditu ad alias quoque partes, perpendenda extat; cum nervus ubique locorum dispositione idem sit: periculum itaque non ab loco; sed nervi abscindendi magnitudine & aditu ad alias quoque partes deducendum colligo stillitantemque (post truncata membra) de ejus involucro, laticem, parti restitanti & conservandæ, cum chylo, de arteriis accedente, medicamento esse balsamico.

Vivit, quondam præfectus militum pedestrium, nobilis vir, natione Gallus, cui, ab sola concussione capitis, ex magni tormenti explosione, uterque oculus visu orbus, extra orbitam, boum oculorum instar, brevi postea protuberavit;

Setaceis verò, venæ sectionibus multisque in usum vocatis medicationum formulis frustra diuque jam nunc, dolore percitus nullo, omni valedixit remedio, heroïco ferens animo nobilioris sensus jacturam.

Ostendit mihi *Hagæ-Comitis*, 4to. Septembris 1699. L. COMMENIK, *Med. Doct. celeber.* & A. STUCKERY, *famigeratiss. Chirurg.* spectatu horrendum oculi prolapsum, potiùs cum oculo excrescentem fungum, vel ficosam excrescentiam, dextram totius faciei inferioris defœdantem partem, ut adspectu; ita & fœtore vix tolerandam; negaverunt autèm nobis parentes oculi excisionem, multis fatigati & incassum adhibitis remediis eorumque, sumptibus cumque insuper, duodecim annorum puer tabidus, macilentus dolore, vigiliis, febre lenta &c. confectus extaret, nemo nostrum hoc negotium valdè ursit moriebaturque miserrimè, sequenti anno, omnibus nominibus miser renuntiandus æger.

Feliciorem nacti sunt sortem Nobiliss. Vir J. DE WILDE, Colleg. archithalassico, quod *Amstelædami* est, olim ab actis & BROUWERIUS mercator, adhucdum in vivis, quibus secundùm artem excisus in totum oculus, ne vel aliquod quidem ulcus, fistula, aut caries post se reliquit.

Hisce aliisque exemplis ipsaque ratione duce, confirmatus, hanc operationem, cum JOANNE RAUWENHOF, præpotentium D.D. Belgii fœderati Chirurgo castrensi primario Anno MDCXC. 24 Julii, in GUILIELMO à WINKELS, milite in cohorte Nobiliss. ducis de HEUKELOM *Bruxellis* institui: sinister oculus in prælio prope *Fleurus*, hastâ perfossus laceratusque primò ab aliis *Caroloregii*, postea *Nivigellæ* & *Bruxellis* tandem ab nobis fuit tractatus & excisus

excisus & probè curatus orbitæque osseæ excavatæ impositus ex vitro artificialis oculus: nam etsi inspector, vel moderator castrensium nosocomiorum, ipsemet manum præbere ægris vulneratisque, ex mandato præpotentium D. D. ordin. Fœd. Belg. non tenerer; hoc tamen similibusque in magni momenti casibus, rogatus eam miseris negavi nunquam.

Totum quàndoque oculum fieri convertique in callum, legi apud alios; verùm vidi nunquam; quinimò vereor, ne ipsius tunicæ adnatæ excrescentis durities, iis imposuerit: eam enim excrescere immensùm & non rarò & ex Ungue, calli adinstar, indurari, dictum jam nunc est supra.

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *SEPTIMA*; DE OSSE CRIBROSO ET NERVIS OLFACTORIIS LÆSIS.

UT majore cum utilitate hanc legas obſervationem, rogatum te (*Lect: Beniv:*) velim, non dedigneris, DECADIS PRIMÆ, *primam* atque *ultimam* pervolvere *exercitationem:* quæ, quoniam in iis, DE NERVIS *eorumque diſpoſitione*, agitur, tibi ducibus eſſe poterunt, ad inveſtigandum confirmandumque meum DE NERVIS aſſertum & enarrandæ hiſtoriæ veriſimilitudinem urgeoque maximè & enixè hanc lecturam, impræſentiarum; ut tandem, te quoque ſyſtema hoc meum probante, de illo; utpote tribus diſſertationibus pleniſſimè demonſtrato, poſt hac tutò mihi ſilere liceat.

Jan de Haan / *Nördvico-Batav.* ætat. XLVII annor. munere reſtiarius, corpore robuſtior, in pago hocce, A°. MDCCIV, IV Octob. aquam hauſturus ex publico puteo, cujus tollenoni, in incolarum commodum, uncus eſt additus, cui appendi urceus poteſt: dum manu una eum ab unco ſolvit, altera verò pondus tollenonis ſuſtinere impotens eſt, petit unci apex, multo ex uſu obtuſus, ejus naſi & narium partem dextram, elevat ab terra, in duorum pedum altitudinem tenetque, per aliquod tempus, hoc modo, ſuſpenſum hominem,

minem, vociferantem, quem ab unco; sed verò non sine difficultate, liberant vicini & experienti Chirurgo JOANNI KALIS, *Alcmariâ-Batav.* mox inspiciendum tradunt, qui quatuor, uno de vulnere majore faciei, observat cutaneas levesque, ut videbantur, quasdam interioris nasi lacerationes & de hisce omnibus mediocrem hæmorrhagiam.

Trium, vel quatuor dierum intervallo, notabile cum quidquam nihil, præter liquidi cujusdam, de narium dextra, stillicidium, appareret vulneraque desiccarentur ad normam, levioris momenti res habita est eorum curatio; verùm ab illo die, adaucto hocce profluvio indies indiesque novis ruentibus in vulneratum symptomatibus; agente interea pro munere suo diligenter chirurgo; periculosum esse hoc vulnus ei & ægro constitit nimiùm certò.

Post plurimorum, tum medicorum, tum chirurgorum; quinimò & agyrtarum (utinam! isti medicastrorum cœtui aquâ & igni nunc, ut olim *Romæ*, interdiceretur: ex usu etenim generis humani id foret) sed frustra experta consilia & molimina, me XIII, Novemb. convenit, ægri uxor duxitque, cum Chirurgo M. ALDERKERK, ejus filio & quibusdam studiosis, qui fortè fortunâ domi meæ erant, ad suum maritum tremulum, vacillantem, visu hebescentem, vertigine correptum, animo languentem & liquidi multum de naribus dimittentem; inspectis hoc die naribus, vulnerum vestigiis omnique non semel observata rerum apparitione, experiebar, sequenti luce;

XIV^to^. Spatio viginti quinque horarum, circiter viginti, purissimi laticis, uncias, de narium dextra, destillitavisse ægrumque convulsionibus agitatum, imbecillem, titubantem, enervem omnibus articulis quandoque rigidum, quandoque solutum & vocis vix aliquid distinctè proferentem;

sedulò itaque & denuò, ægro luci exposito, inquisivi in liquidi hujus fontem detexique intus omnia ulcere; sed levissimo confecta osque cribrosum exasperatum statuique, consideratis insuper prædictis symptomatibus, odoratus organum læsum nervorumque ejus involucra disrupta cerebrumque affectum: quocirca; etsi aliud genus medicationis mox meditabar, narium dextram fortiter; sinistram verò molliter, *turundis albumine ovorum & stipticis pulveribus S. A. ornatis*, farsi implevique.

XV^tò. Toto hoc temporis interstitio; tametsi de naribus effluxisset nihil, manserunt nihilominùs, nunc memorata symptomata, apparatum hoc die non solvi; verùm ægro, languenti, frigore externo tremuloque motu febreque correpto, sudoriferum præscripsi, quod homini tremebundo potius gulæ fuit infusum, quàm ab ipso haustum:

℞. *Antim: diaph:* ℈j.
Sal: absynth: ℈ß.
Confect: Alkerm: ʒß.
Syr: pœon: ʒij.
Sal: volat gutt: vij. &
Vin: rhenan: q. s. pro haustu.
M.

multo, hac nocte, excusso sudore, mane,

XVI^tò. Mitigatis aliquantulum symptomatibus relictoque in naribus apparatu, sequenti linimento, post adhibitam *aq. Anhaltin.*

℞. *Balsam:*

℞. *Balsam: peruvian:* ʒiij.
Ol: terræ ʒiij.
castor:
Ruth: ā ʒ ß.
Laurin: ℥ j ß.
Ung: nervin: ℥ij.
M.

fricuit Chirurgus bis totam vertebrarum syntaxin, ad ignem collocato ægro verticique ex multo linteamine pulvillum, fervente *spiritu vini* imbutum adaptavit; eodem modo & non sine fruge,

XVIImò; Tractato ægro apparatuque novo naribus intruso,

XVIIIvò; Nuchæ ejus decuplum ex linteo pulvillum, *balsam: Peruv. & ol. Therebinth.* conspersum, injecimus eique cauterium actuale, non tamen urens, applicuimus; ut, scilicet, medicamenti virtus, unà cum externo calore penitiùs adiret medullam (ut vocant) spinalem nervosque ex ea oriundos: ter repetito hoc actu, inveni ægrum,

XIXnò; Quasi expergefactum, nauseabundum quidem; sed tamen minus spasmodicè convulsum, utentem distinctiore loquela & viribus magis constantem; alvum interea adstrictam patientem, ad quam solvendam purgans commune aliquod præscripsi, post cujus operationem, omnibus, ut supra, crebrò & præsertim frictione tractus vertebrarum & nuchæ, per biduum,

XXmò.
&
XXImò; Præstitis decrescentibusque symptomatibus inque hoc momentum temporis liquidi de naribus stillitante

nihil,

nihil, surrexit, propriis utens viribus descenditque, adjutus, de lecto æger,

XXII^{dó}; Victu potuque refectus.

XXIII^{tió}; Renuntiatum mihi, ab chirurgo repetente prædictam medendi methodum, est, circa meridiem: ter namque aliquando ægrum, unius diei spatio visitabat, ne, si quid inopiatum fortè accideret, ego, cum ipso, paratus non essem, qui necessitati & rei peragendæ prospicerem, de narium dextra, circiter 18, guttas, liquidi turbiduli, manavisse; sed verò ilicò ejus cessavisse profluvium; denuò itaque naribus, ut supra, obturatis omnibusque continuatis mediis, de die in diem, meliùs & meliùs perrexit negotium, incedente ægro, priùs per cubiculum & deinceps per totam domum & comedente satis benè.

XXIV^{tó}, Liquido prædicto, de novo & quidem guttatim defluente, statim turundas de naribus extraxi easque pure, parte una, laudabili, altera minus tenaci & malè olente conspersas; sed paucissima quantitate madefactas inveni; ita, ut nullus dubitarem; quin ipsa nervorum cerebrique involucra, vulnere quo cæteræ partes, essent læsa: Medelam adhibiturus huic ulceri, sub vesperam, *Balsam. Sulph. Therebynt.* & *calefact.* turundæ adminiculo eâ, quâ fieri potuit & debuit, vi, in summas nares osque cribrosum intrusi capitique, de cujus, dolore gravativo æger, præsertim parte antica, querebatur, imposui *seq. cucuph.*

℞. *Herb. Beton.*
salv.
majoran. a. m. ß.
Flor. Lavend. m. j.
Origan. P. I. F. S. A. Cucuph. cui insperge
Aq. vit. Mathiol. ℥ij.

hisce

hisce ad normam, non neglecta medicatione antea descripta, per triduum,

xxvii mò; xxviii vò, & xix; usurpatis adhibitisque; liquidi prædicti fluxus tamen non est impeditus: ægro porrò præscriptum, *ex Resin. Jalapp. Mechoacan. &c.* purgans; cum autem vererer, medicamentum extus adhibitum, ad ipsam fortè plagam non pervenire, aliud genus aliamque ejus formulam commendavi, videlicet, quod siphonis ope in ipsas nares & ulteriùs injici posset & erat;

℞. *Vin. Gall. Aust. (vulgò) vin. grave*, ℥viij.
Rad. tormentil. ʒij.
Flor. balaustior. ℥ß.
Alum. crud. vitriol. Cyprin. ã ʒß.
Macerent. per 24 horas, adhibito lentissimo igne. Philtr. & conserv. in usum.

postquam hoc medicamen magna cum vi naribus esset intrusum, illæ turundis, eo liquore imbûtis, arctissimè sunt impletæ & obturatæ. Hoc pede pergentes & sæpèsæpius nucham ægro calefacientes vertebrarumque tractum fricando inungentes; diminui nasi fluxum, augeri homini vires cœperunt; sed continuo de conatu in vomitum queritanti, exhibitum *confortans est vinum medicatum.* Ab ultimo hujus mensis, usque in 5. Decemb. rebus è voto succedentibus, mutatum, vel tentatum noviter est nihil. Observabamus interim semper, ægrum nostrum & animo & corpore deficere, vel refici, eâ proportione, quâ liquidum memoratum amitteret, vel conservaret: primo quippe accidente symptomate, mox rigescere ipsi membra, vacillare postea; secundo; exhilarari ipsum membraque suis fungi, sine tremore, muneribus & officiis, visa sunt.

De naribus planè apertis nulloque medicamento ornatis, cum, per aliquot dies, liquidi manârat nihil, adiit æger, cui virium jam; non verò opum (etsi ego ne obolum quidem ab eo petierim) satis erat *Nordvicum*, quo loco imbecillis quidem interque ambulandum titubans; tamen vixit, magno sine incommodo; usque dum, ut ex relatione ipsius uxoris Chirurgique VAN LOON, altero pagi & celebri Chirurgo, accepi, initio mensis Martii, dirissima talique vellicaretur convulsione; ut cum lecto contremiscerent exinde ipsi parietes eodemque mense cecidisse, in fossam domui ejus proximam; amisisse de tempore in tempus vires & postquam quater impotens, nempè, qui quò vellet incederet corpusque suum sustineret, cecidisset in fossam, vix vitæ suæ extitisse conscium tandemque omni amisso motu (sic dicto voluntario) amisisse XV. Maji A°. MDCCV, ullo sine tremore, vel spasmodico partium motu, vitam.

Ad hujus historiæ supplementum pertinere videtur, quæ sequuntur.

Ægrum dormivisse & comedisse, utplurimùm benè; sed aliquando altissimo somno, per 7, aut 8. horas obrutum, postea, helluonis & sitibundi hominis adinstar, omnia, quæ ei in victum, aut potum propinabantur, devoravisse, assumsisse.

Circa finem vitæ pueri, vel mente carentis hominis instar, traxisse vitam, artubus nunc laxatis, nunc rigescentibus in totum, ita; ut truncus videretur.

Alvum satis commodè exoneravisse, ad ultimum vitæ terminum.

Sed (*Lector Beniv.*) velim noveris, me, circa jam sæpiùs memoratum liquidum, omnia instituisse examina, experimenta, in-et disquisitiones, quæ publicè præstiti quas-

que

que *priore decade*, enarravi; evaporatione, nempè, ipsius laticis, admixtione & commixtione ejus cum aliis oleis, spiritibus, aquis &c. pro comperto habuisse, id nervosum, sive quod nervorum stamina concomitatur, fuisse; non verò de arteriis (ut quidam volebant) manavisse: quæ enim hæc illa esset, circa os cribrosum naresque arteria, quæ tantam, quantam vidimus vim puri & diaphani liquoris, ullo sine sanguinis profluvio, ante, vel post hoc stillicidium, emisisset?

Ex præfatis demonstratisque omnibusque ex iis colligendis statuendisque veritatibus ac sequelis, persuasum mihi habeo reverenter, te (*Lector Anatomico-Chirurge*) pedibus totis initurum meam de nervorum fabrica, motu & usu, doctrinam.

Lubet, si per te liceat & hoć patiaris (*Lector corporis animalis ruspator*) hisce de nervis exercitationibus, non unam duntaxat; sed verò multifariam meam observationem, synopticως conscriptam, de Spina Dorsi bifida, fissa medullaque spinali, osse nullo contecta et nato infante, fluore succi nervosi, Coronidis loco, imponere; neque fore credo; ut eam extra & ultra thematis, jam nunc absolvendi, terminum ab me adduci, statuas.

Antiquos spinalis medullæ vulnera renuntiavisse lethifera, nemo doctorum medicorum ignorat; verùm hoc dogma, vel axioma Medico-vel Chirurgico-Physicum, cum grano salis debere accipi, eos quoque non latere, monumentis proditum habemus satis: vulnera quippe huic organo inflicta minora, mox & secundùm artem, excepta, probè consolidari, notum iis & ultrò est, qui experimenta ab me, publicè, in hunc finem, in animalibus viventibus, instituta viderunt;

Verùm dehiscente vertebrarum syntaxi medullâque spinali aëri expositâ nervorumque involucro, ab nativitate læso, in vivis

perstitisse animal, fabula veritati ex diametro opposita est: nam etsi, infante in lucem edito, tumor ad ossis sacri initium, solummodò isque liquore impletus comperiatur nihilque de eo, vel per eum effluat liquidi nervosi ipseque infans, per aliquot dies, dixerim septimanas, vegetè subsistat; corrumpitur & rumpitur tamen brevi tumor gangrænâ, emoriuntur ejus superficies, deinde nervorum involucra, defluit nervorum liquidum, rigescunt infanti membra attenuantur vires, usque dum continuò & immedicabiliter stillitante prædicto liquido, mors ultimam hujus tragœdiæ scenam claudat.

Quemadmodùm, ante aliquot annos, HARLEMI, ad hoc vocatus spectaculum, à Clarissimo quondam illius civitatis medico VLACKVELDIO, comperiri mihi fuit integrum. Si vir hic, verè sagax & practicus, Chirurgi plus audacis, potiùs temerarii, quàm exercitati, consilium inivisset, concessisset tumoris memorati pertusionem; sed verò factus cautior exemplo, ab æternæ memoriæ consulari viro & medico, magno N. TULPIO (vide ejus caput XXXum L. 3tio;) relato, vitium istud commissionis & criminis contra rationem, vitavit, non perpetravit: est namque in arte Medico-chirurgica quoque criminis loco, impossibilia à priore, ausu planè Phaëtontico, omnia sollicitare & tentare. non possum & ego, sine immemoris beneficii crimine, hoc loco tacere, me, ex dono nobiliss: & ampliss: Viri, quondam Consulis & Senatoris *Amstelædamensis*, S. SIXII, magni TULPII generi, possidere multos ex Bibliotheca Tulpiana, manu & annotationibus præclari antistitis medicinæ, exornatos libros interque illos J. RIOLANI FILII Ao. 1626, *Parisiis*, ex officina D. MOTEAU, editam anatomiam, in qua ad hoc lemma & quidem Cap. XV. XVI. & XXVI, multa allegat citatque disseritque; sed, audi & doleto mecum casum hunc (*Lector Benev.*) non nisi ex sequelis;

Fig: 1.



quelis & verborum, ex parte, cohærentium sensu interpretanda: extus etenim etsi liber hic videatur integer; intus tamen, igne (procul dubio candelæ, propter viri praxi de die fatigati & nocturno quodam momento sub dormitantis inter lucubrationes, incuriam, vel lassitudinem) laceratus est; quod si integrum hoc ejus scriptum edi potuisset, illo, per me, non caruisset Respublica Medico-chirurgica; verùm, ex conjectura, aliorum scriptis aliquid addere, vel adimere, non mihi; sed onus antiquitatum investigatoribus imponendum & suscipiendum videtur.

Cum autem Clariss: Vir Vlackveldius, ad vivum justamque magnitudinem, prædictum tumorem, ut et ejus, pro tempore, mutationes, depingi curaverit atque ego cadaverculi, in conventu plurimorum artis nostræ doctorum et fautorum, celebraverim anatomiam, ex tua utilitate duxi (*Lector Beniv.*) æri incisa ejus hæc tibi offerre schemata, pag. 189, 190, 191, 192, 193. dissertationi huic inserenda.

Tab. I. Fig. primâ, delineatur prædictus tumor, ut apparuit, a primo, usque in quartum, ab infantis masculi nativitate, die;

A. Pars dorsum versus;
B. B. B. Tumoris pendentis vel sacculi circumferentia;
C. C. C. Cutis protuberantiæ variæ et
D. D. D. Sulciformes plicæ;
E. E. Leviter excoriata et coloris plumbei, duo loca.

Post aliquot dies flaccessere, findi, sulcis persecari, inflammatione corripi, gangrænâ levique sphacelo tandem emori

 cœpit,

cœpit, Tumoris, continuò liquidum nervoſum ſtillitantis ſuperficies, ut videre eſt;

Tab. I. Fig. ſecundâ, adumbrante, per litteras

A. A. A. TUMORIS FLACCIDI CIRCUMFERENTIAM;
B. B. COLLAPSA ORA MARGINESQUE CIRCUMVOLUTOS,
C. C. C. FISSURARUM ET
D. D. PARTES PUTREDINE CONFECTAS.

Veruntamen de conſtitutione et diſpoſitione tum oſſium, tum nervorum, cum nobis adhucdum conſtaret certi nihil, eam detegere voluimus, infante poſt aliquot tempus mortuo, cadaverculi inſpectione anatomica; quam habe;

Tab. ſecundâ, denotantur parte ab corporis poſtica;

A. A. VERTEBRARUM LUMBALIUM BENÈ CONSTITUTARUM FACIES;
B. B. OSSIS SACRI DEHISCENTIA;
C. C. LACERATORUM INVOLUCRORUM NERVORUM RELIQUIÆ;
D. D. D. D. NERVI EX SPINALI MEDULLA ORIUNDI, QUORUM ILLE
E. LATERIS DEXTRI, CRURALIS, INSIGNITER TUMET SOLITOQUE MAJORE TUBERE (DICTO GANGLIO) INSTRUCTUS CONSPICITUR;
F. OSSIS SACRI PARS INFERIOR UT ET
G. CAUDÆ, CALLOSO-CARTILAGINEA SUBSTANTIA, OBDUCTÆ;
H. H. H. CUTIS ET DIFRACTI TUMORIS VESTIGIA;

Fœtum in utero, vertebrarum dehiſcente tractu; quinimò medullâ ſpinali nullo oſſe contectâ; tamen per aliquod tempus, vivere, augeri, moveri poſſe, rationi nequaquam, multò minus experien-

Tab: I.

Fig: 2.




A.
A.
B.
C.
C.
D.
D.
D.
D.
E.
F.
G.
H
H
H

perientiæ refragatur; nervis, videlicet, ſuis involucris non deſtitutis, vel iis læſis, laceratis, aut morbo infectis conſervatoque, hoc modo, eorum liquido ejuſque uſu: arteriis interea, cum aliis partibus officio ac munere fungentibus ſuo, ſine impedimento; hoc quod aſſertum documento probatum habui;

A°. MDCLXXXII. *Amſtelædami*, ubi fœtum, octavo circiter menſe prægnantis utero, extraherem cujusque deformatum ab vertice, ad femora, cadaver, poſtmodum perluſtravi, taciturus juxta Hippocratis præceptum, tacenda ſacra, horrendam deteſtandamque hunc fœtum, in utero, deformandi et deſtruendi cum cauſa, methodum: ſufficiet, opinor, lectori et ſpectatori, ex ſceleto id vidiſſe, in quo et circa quod occupati ſumus, vertebrarum, nempè, tractum fiſſum, apertum: ex eo enim facile colligere eſt, hoc in fœtu, medullam ſpinalem nullo fuiſſe oſſe contectam; priuſquam hoc fiat, inopportunum non erit, caput ejus vidiſſe enormiter depreſſum fractumque multis locis.

Tab. tertia, delineans prædictum embryonem, ablatis Brachiis pedibusque; utpote nihil peculiare, vel præternaturale obtinentibus.

Fig. prima exhibet prædicti fœtus caput ab utroque latere com- & depreſſum; in quo videre ſunt;

A. A. OSSA BREGMATIS UT ET
B. B. ILLA FRONTIS EORUMQUE COMPLICATIONES, VI FACTAS;
C. OS JUGALE SINISTRUM, DEHISCENS AB VICINIS OSSIBUS, ITEM OSSIS
D. MAXILLÆ PROPRIÈ DICTI, SUPERIORIS DEFORMATA FACIES.
E. INFERIOR, VALDÈ EMINENS MAXILLA.

Fig.

Fig. secundâ delineatur ejusdem capitis adspectus ab latere apparentque

A. OS BREGMATIS DEXTRUM ET IN EO

B. FACTURA, CUM OSSIS SEPARATI PARTE IN DURAM MATREM IMPRESSIONE,

C.C.C. OSSIS BREGMATIS SUO IN FIERI, SIVE EXTENSIONE INTERRUPTIO.

D. OSSIS TEMPORUM ATQUE

E. OCCIPITIS MALA COMFORMATIO, DEPENDENS SACCULI INSTAR AD COLLI VERTEBRAS.

F. MAXILLÆ INFERIORIS DISPOSITIO, EMERGENTIBUS EX EA DENTIUM PRIMORDIIS, RUPTIS EORUM ALVEOLIS.

Fig. tertiâ depingitur capitis hujus conspectus, à parte postica,

A. OS OCCIPITIS.

B. SAGITTALIS,

C. CORONALIS,

D.D. LAMBDOÏDEARUM SUTURARUM CONSTITUTIO CIRCAQUE HASCE RUPTORUM FRACTORUMQUE OSSIUM EXEMPLA EMINENTE, LOCIS AB OSSIBUS DESTITUTIS, UBIQUE DURA MATRE.

Tabulæ quartæ, exprimentis fig. I. anticam trunci ossium prædicti fœtus constitutionem, enodatio.

A. VERTEBRÆ COLLI.

B.B.B.B. UTRIUSQUE LATERIS COSTÆ COMPLICATÆ, DISTORTÆ, COALITÆ, VERBO DEFORMATÆ FIGURÂ, COLLOCATIONE, CONNEXIONE.

C.C. OSSIS STERNI VESTIGIA CARTILAGINEA INQUE EIS, OSSIUM IPSORUM STERNUM COMPONENTIUM POSTEA FACIES.

D.D.D. VERTEBRARUM TRACTUS INCURVATUS,

E. OS ILIUM BENÈ CONSTITUTUM.

F. OS SACRUM, CUI ADJUNGITUR ILLUD CAUDÆ.

Fig: 1.



Fig: 3.




Fig: 2.



Tab: IVta.


Pag: 192.

Fig: 1ma.



Tab: IV.ta

Fig: 2.da



Tab. 4. figurâ secundâ proponitur, prædicti trunci posterior adspectus & in eo

A. A. A. Vertebrarum, usque in imam imò partem apertum, tractum.

B. B. B. Trium inferiorum colli vertebrarum dehiscentia.

c. c. c. c. c. c. Lateralium, vertebralis tractus, ossiculorum, cum

d. d. d. d. d. d. Mediis ejus ossibus,

E. E. E. E. Conjunctio.

F. F. F. F. Patentia inter prædicta ossa foramina.

plura huic explicationi adjicerem; ipsæ si hæ delineationes non satis elaboratæ, aut sagax FALLOPIUS & accuratus in ossium genesi tractanda & exprimenda KERKRINGIUS, præ manibus non essent: ex iis etenim colligi erit, quantum hæc delineatorum ossium fabrica, connexio &c. ab naturali, sive corpori debita, distet.

Fœtus ovini aperto planè abdomine omnique denudato viscere, ut & vaccini felisque duplici capite nati, distortas, bifidas, apertas &c. vertebrarum syntaxes; etsi in musæo conservem, æri incidendas non curavi; ne ex copia exemplorum, inops ipsa videatur ratio meumque pede non firmo stare, DE NERVIS eorumque motu, cum demonstratione, assertum.

EXERCITATIONUM
ANATOMICO-CHIRURGICARUM
OCTAVA;
DE

LEUCOMATE, SIVE ALBUGINE.

Coincidit mihi, animum ad LEUCOMATIS descriptionem accingenti, proverbium,

Fert aliud Leucon, aliud Leuconis asellus:

auctorum quippe verba præscriptaque tantùm, hac in re, ab effectu differunt; ut nescivisse eam, vel incuriâ, aut è consilio, tradidisse intricatam, mihi penè persuadeam.

Primò; voce LEUCOMATIS, ALBUGINIS morbi, specificè unique solummodò parti proprii, genus designatur minimè.

Secundò; quæ ejus vocantur species, in totum ab hoc quasi genere differunt: Albicans etenim hæc macula, cum *cicatrice splendida*, *paralampsi* &c. nullo respectu convenit: prima quippe corneæ convexæ superjacet, superextenditur, aut inter ipsas ejus lamellas, vel demum intus ab parte, nempè, ei est concava. Alteræ corneæ læsiones, *cicatrices* sunt & excavationes variolarum, ruptarum hydatidum, vulnerum, ulcerum. Imò & hypopyonis vestigia: neque itidem cum νεφέλαις, *nebulis*, quæ potiùs suffusionis species, conveniens est.

Objecta

Objecta ergo perforata ſive diviſa, vel prorſus non appareant, Leucoma, albicans, in tunicæ corneæ ſuperficie, macula infans & recens facilè, adulta difficulter, vetuſta rariſſimè, inter lamellas, vel poſticè hærens cicatrixque vulneris; ulceris verò curatur integrè nunquam.

Quæ in multis aliis oculorum affectibus magni, hac in ſpecie uſus eſt maximi, lingua; utpote, quæ lambendo glutinoſas tenaceſque, ab corneæ ſuperficie abſtergere apta eſt nata, maculas: ſive etenim, ſudaminis adinſtar, ipſo de corpore corneæ proluat, extus, ſive ex peregrina materia ei adhæreſcat; imò lymphatico de latice concreto ortum ducat, aſperitate ſua iterum iterumque terendo tandem eminentiam abradere, potis eſt. Monita generaliora, Pò; linguam eſſe ab omni impuritate depurgandam; 2dò; fragrantis alicujus ſeminis maſticatione, poſt ablutionem, imbuendam; 3tiò; ei *Saccharum candy*, aut; ſi efficaciore abſterſione opus videatur, vitrioli mitigati, aut ſimplicis, ſolutionem inſpergendam; 4tò; inſpiciendum, quò tendat vergatque macula: parte enim ab oppoſita opportet fiat lambendi actio; promovetur alias potiùs, quàm refrænatur macula, eodem modo, ut pterygium digitorum, injectâ, parte à qua, ad quam properat excreſcentia, ligaturâ: multa enim licet appoſita medicamentorum corrodentium deſiccantiumque farragine, hic ille morbus curatur nunquam; ligaturâ verò debita methodo ei injectâ brevi. Quod ſi ab maculæ exortu, quò loco craſſior exiſtit, lambendo pergas; eam verò ab parte tenuiore, ab circumferentia, non excipias, extendis hanc ulteriùs; nunquam autem macula, Leucoma, à puncto æqualiter & radiatim in circulum extenditur; eminente ſemper in medio apice quodam, linguâ explorando;

Problemata etſi mihi ſint, hujus aſſerti, plurima, unum (*Lect. Beniv.*) accipe idque momentoſum.

A°. MDCLXXXVII. menſe Majo, convenit me Sara, Judaïca, habitans *Amſtelædami*, in platea

(vulgò Marck) oſtendens mihi, ut ajebat, *Margaritam*, oculo infantis duorum annorum, incumbentem; re explorata, non *cicatricem* (vulgus vocat een Parel) ſed maculam, LEUCOMA, experiebar, quam, brevi temporis intervallo, mater lambendo, ut ſupra eſt monitum, deterſit; verùm ineunte brumali frigore, vires recipiente morbo, me denuò acceſſit, commonſtrans, eandem MACULAM PROFUNDIÙS ALBICANTEM latiusque expatiantem; miſcui itaque *cum ſucco chelidoniæ aliquid ſacch: cand.* injecique penicillo, tepidè, per aliquot dies id medicam: maculæ; interea tamen à lambendo & quidem crebrò non deſtitit mater. Succeſſit curatio vivitque, in hoc momentum, viſu præditus accerrimo, quondam æger.

Si adulta & longo tempore, refractaria MACULA, deterſioni leni *vitriol: Cyprin: in aq: Roſar: ſolut:* reſiſtat, opus eſt fortiore medicamento; verùm ego ſtylo, ex *ejusdem generis vitriolo*, utor; tum, quia maculam, uſque dum ſanguinem emittat, vellicandam fricandamque ſuſtineo, tum quia tutiùs, hac methodo, parti affectæ, intactis vicinis, injici poteſt medicamentum.

Quæ, inter ipſas tunicæ corneæ lamellas, hæret MACULA, nunquam curatam vidi; ſi per annum unum, aut alterum eodem fuerit loco, conſidente, ea parte ſemper extimâ lamellâ ulteriùs; ita ut, quæ in initio livida, tractu temporis conſpiciatur albida profundè.

Concavæ; id eſt, interiori tunicæ corneæ parti inhærens MACULA LEUCOMA (ſi enim fluctitet, ſuffuſionis familiæ adnumeranda venit) ut remotior ab injiciendis medicamentis, ita & peſſimæ notæ & incurabilis planè eſt.

Quod ſi, ex Hypopyonis, ipſius corneæ corpus occupantis, ſpecie ſupra notata, variolis, morbillisve pertuſâ, corroſâ, exulceratâ,

ceratâ unà alterâque corneæ lamellâ, cicatrix ei inhæreat expullulans, alia sanè prorsus res est: stigma enim etsi referat album, Leucomatis indolis tamen obtinet nihil: nam, instar callosi, id est, indurati fungi, foras indiesque extuberantis, excrescentia hæc verrucam (cujus quoque species non est; omnis quippe verruca, cutis morbus est) fingit.

Cum autem periculosum, hac in parte, sit alicujus sententiæ assentiri, vel eam rejicere, exponam rei exemplum.

Hagam-Comitis, A°. MDCLXXXII, *Amstelædamo*, ab Clariss: CORN: BONTEKOE, aliisque artis nostræ cultoribus, invitatus ad dissectionem cadaveris, Viri laqueo necati, accessi obtemperans amicorum rogatui protinùs celebravique coram insigni Anatomes fautorum corona, hunc actum; cum autem, hoc tempore, luctarer prædicto cum morbo, in puella quatuordecim annorum, in parte corneæ versus nasum, statui curavique incideret (finita demonstratione) noster discursus privatus, in hoc thema, præsentibus Clarissimis Viris BONTEKOE, LIEBERGEN, VAN SOLINGEN*, MATTON Med. Doct. experient. VAN DYK, KERVEL aliisque Chirurgis. Post rem ab me propositam, post multifarias vibratas sermocinationes, exhortatus est ursitque audacter VAN SOLINGEN extuberantiæ ablationem, methodo quam postea descripsit, OPERE SUO (pag. mihi 51) DE CHIRURG: OPERAT: fateor ingenuè, id ejus consilium mihi nequaquam arrisisse; imò & surdis amicum meum narravisse fabulam; quoniam nemo inter nos ejus esset sententiæ, redux, *Amstelædami*, acrioribus medicamentis curationem tentavi; sed pessimo cum eventu: apici enim quidem escharam injeci seperavique; in fundo verè, cum materia expullante, accrevit durities: explorata itaque re prius

& denuò, ſtatui excreſcentiam hanc deſiccandam eique vim *gypſi & farinæ tritici toſti*, per aliquot dies, applicui: hoc modo adjuta deſiccatione & duritie tumentis mali, illud, præſentibus Med. et Chirurgis quibusdam, ſcalpello corneæ abſtuli; ulcus tamen hoc, non ſine multo tempore, improbo non ſine labore tædioque et viſus detrimento, coërcui, depreſſi, purgavi, curavi: MILVO ETENIM VOLANTI RESECARE UNGUES FACILE NON EST.

Si in adnata, vel circuli corneæ tunicæ circumferentia, poſt curatum ulcus, excreſcentia, vel cicatrix appareat, age (Chirurge) fortiter; ſed mox & actutum: ſeparari quippe ab cornea poſſe partem, ſive exterioris lamellæ lamellam, viſu illæſo, aut ſaltem parum impedito, auſim aſſerere: vivit enim *Amſtelædami* homo, in quo hoc exemplum proſtat.

Si, ex variolis, maneat ſiccum corneæ membranæ ſtigma, illud incurabile expertus ſum: tu itaque cave: edoctus enim hæc doceo fideliter, irrites crábronem; ut verò arti ſatisfiat ejuſque præceptis, age, ſollicita emollientia; ſed avertant Dii ego tibi auctor ſim; ut ægrum, vel te, ſecurum de curatione dicas; ſed quid ni apertiùs? audi, diſce; verùm & fuge ſimul & deteſtare, quod ſequitur exemplum: *ſcopulos ut mare; ita &, nempè, portus habet.*

Vocatus inſpexi nuper, hoc ex morbo incurabili laborantem domicillam juvenculam, cujus grabato vir aſſidens medicus, non quidem doctus; ſed qui (proverbialiter) plus tamen docet, quàm ſcit, comploſis hic manibus, ſecuram renuntiaverat: adhibuerat enim ſcilicet, *Beneficio evaporationis per infundibulum* ſequens oculo Medicamentum emolliens:

℞. *Fol:*

℞. *Fol: bismalv: & malv. a*, mij.
Flor: Chamomill:
sambuc: a, p. ij.
Sem: anis:
fœnic: a, ℥ij.
Incid: contund: coq: in lact: dulc: pint: ij.
exprim:

ægra priùs diuque dubia, nunc medico suadente, facili momento spem conceperat certissimæ curationis; infaustam itaque rejiciens meam prognosin, tamdiu verbis adulatoriis fidem habuit, donec temporis, laboris sumtuumque dispendio inutili lassata, eventu didicerit effati mei veritatem.

Huc spectitant ex peste oculis infixæ maculæ varicolores; ut plurimùm autem in principio rubentes; postea verò livescentes, quæ; si nigredinem contrahant, quocunque detegantur loco, gangrænam minantur, aut sphacelo laborant: ut sudorifera toti corpori; ita fotus &c. hac virtute præditi, gangrænæ, nempè, resistentes viresque partibus refocillantes, huic maculæ injiciuntur secundùm artem;

Horrenda autem lue pestifera, cum (infinitâ Dei gratia & clementiâ) patriam meam; non nisi leviter contactam viderim & quidem tempore studiorum meorum chirurgicorum, dicam solummodò enarraboque pauca; *de maculis oculorum ex peste*, quæ facta sunt memoriâ meâ.

A°. MDCLXVII. Abrahamo Brouwer, Tabellario in *Zeelandiam*, in platea, vulgò de **Lauwerierstraat** / *Amstelædami* peste correpto, post gravissimos capitis dolores oculorumque inflammationem, ictu fulminis citiùs potentiùsque visum obnebulans, oculo infligitur

M a

MACULA, ex tubere primò rubro; mox verò livescente, ortum ducens; hujus, post aliquot horas, color albescens, præceptori meo experientissimo, BERNARDO VAN ULSEN, præsagio instantis mortis fuit: extuberante quippe, cum hacce MACULA, toto oculo, nigrescente, multis locis, corporis superficie striaque rubente in pectore, versus cor, animam quoque brevi efflavit.

Alterum; sed felicioris eventus: vitam etenim habuit conservatam, hoc mihi est exemplum. Eodem anno JACOBI VAN LEYDE, *Amstelædami*, clanculum proxenetæ, in fossa, vulgo **de Rozegraft** / prope vitri fusoriam, decem circiter annorum filius, post curatum bubonem inguinalem, incidens in vehementissimam ardentissimamque febrem simul citò in corneæ partem mediam, oculi dextri albicantem ex levi rubedine MACULAM, accipit, quæ, injectâ, inspersâ, adhibitâ remediorum vi maximâ, artem elusit omnem, eundem semper retinens locum, colorem & magnitudinem; visum autem ex parte concedens ægro.

Eadem res est cum oculorum MACULIS (de totius visus affectu; hoc de fonte autem alibi latiùs) ex mala Venere, quæ, ut plurimùm docent; *non esse semper in medico, relevetur ut æger*; ne autem mox animo desperes (*chirurge*) perpende? quem in scenam duco casum.

Juvenis 25. annorum, in cohorte equestri, prætoriana, quem fermè perdiderat infausta Venus: fædis enim, ut omni loco cutim, ita & palpebras frontemque dehonestaverat maculis, ulcerosis pustulis &c. neque ossa virulento intacta reliquerat ab malo; pertæsus quasi vitæ: frustra enim sudaverat omni modo, frustra salivaverat usque imò ad, cum emaciatione, internecionem, me vocat in auxilium,

lium, non tam ut ſibi; quàm amicis ſatisfaciat. Cuncta cum perluſtro, inveſtigo, albicantem obſervo in oculorum dextro ejuſque cornea, Maculam, quam, inter medicandum prorupiſſe, ab eo, edocebar eâque eum cum vi Mercurii fuiſſe uſum; ut per ſex integros menſes; ne micam quidem panis dente frangere potis extitiſſet; immoderata itaque ex Mercurii adhibitione corpus hoc fuiſſe emaciatum facilè colligebam & proinde malacticis, ſucculentis, juſculis &c. primò; hominem, poplites quem vix ſuſtinebant, reficiendum curavi largiter, ſecundò; viribus reſtauratis, confortantibus decoctis, quibus *Rad. Contrajerv.* & *Tormentill.* non deerant, ipſam Maculam, opus operoſum! aggreſſus ſum, eam detergendo ſequenti medicam:

℞. *Mell: Chelidon:* ℥ij.
Fel: piſcis Lucii ℥j.
Salis volatil: gutt: v.
M. inſperg: ope penicill: calidè.

uſus hoc medicamine, in initio & poſtea *ſacc. cand. pulvere*, eòuſque oculo viſum reſtitui; ut niſi ab latere & aliquando tantùm conſpiceretur Maculæ leviſſimum aliquod veſtigium experiebarque extimam ſolummodò occupaviſſe corneæ lamellam. Aphoriſmi tandem loco ſit: maculas, in membrana cornea, ex lue peſtifera, intensè eſſe dolorificas; ex mala Venere verò, inſenſiles.

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *NONA*;

DE

EXOSTOSI.

Vetus, non dictum ab me prius & benè est, OSSIBUS CELERITER MEDICANDUM: consentiunt in hoc dogma, sive axioma Chirurgicum, quotquot auctorum de ossium morbis aliquid memoriæ consecrarunt; sed, ut cæteris ossium ægritudinibus ac symptomatibus supersedeam, si vera EXOSTOSIS ea vexet, quomodo iis medicandum? inter sese dimicant fervidè; statuentes, pro ipsorum diversis Physico-medicis & mechanicis principiis, diversas medicationes; earum autem elenchum referre & horum, in curando celeriter hoc morbo, juxta rationem, verisimilitudinem; illorum verò è contrario sentientium auctoritatem, longa annorum serie conquisitam praxique multa confirmatam rejicere, aut confirmare, inutile duco temporis dispendium aggrediorque, pro modulo meo, dicere & deinceps demonstrare,

Pmò; QUID SIT EXOSTOSIS;

2dò; QUA DE CAUSA ORTUM DUCAT ET QUOMODO PROGREDIATUR;

3tiò; QUÆ EJUS SINT PHÆNOMENA;

4tò; QUA METHODO CURARI DEBEAT; QUÆ OMNIA

5tò; EXEMPLIS INSUPER PROBABO INDUBITANDIS ET AD NORMAM ANATOMICO-CHIRURGICAM PRODUCENDIS.

(I) Pro-

(1) Proprio & specifico titulo disignandus morbus, Exostosis, est partis alicujus ossis, ubique alias benè constituti, uno loco, luxuries et incrementum immodicum: hinc ab hoc genere morbi excluduntur ganglion, lupia &c. quæ perperàm ejusdem familiæ censentur; in Exostosi quippe ipsa & sola ossea substantia; in ganglio verò lupia &c. nervorum tendinumque involucra, non autem, ossa, primariò patiuntur.

(2) Ortum ducit, lentissimo passu progrediens, à causa quasi innocua, à nimia, videlicet, boni succi nutritii in unam ossis, alias benè constituti, partem alluvie, infarctione & accretione, partem hanc nutriendam extendente immodicè; quinimò & deformante; ut patet,

(3) Ex partis affectæ Phænomenis; quæ sunt; ossis supra & infra Exostosin, constans & requisita dispositio; puta magnitudo, figura, connexio cum vicinis. Indolens, durus, osseus hic tumor, sive eminentia præternaturalis, sine asperitate, periostio ritè contectus, nunquam in ipsis articulis; sed infra illos aliquantulum remotus, detegitur atque hoc respectu, ab omni alio ossis morbo, distinctu est facilis; adde (*Lect. Beniv.*) hominem, ex hac luxurie & immodica accretione ossea laborantem, cætero corpore ejusque habitu esse sanum; sed verò, vigente Exostosi, vicinas ei partes periostium, nervos, arterias &c. tandem dispositione sua naturali posse privari & hoc sensu secundariò lædi, non esse sanas, sinceras, quis est qui ambigat? verùm de Exostosi simpliciter, non de ejus symptomatibus & sequelis, morbo complexo, mihi sermo est;

(4) Cum autem extuberantia hæc Exostosis, temporis tractu, id incrementi capiat; ut toti corpori, vel insigni

ejus cuidam parti, incommodò ſit, luxuriei huic *celeriter obſtandum*, *medicandum* (connorme rationi monitum) ſecundùm me, hac methodo; adimendo EXOSTOSIN, unà cum oſſe, ex quo ortum duxit; fieri quod poteſt in minoribus exterioribuſque oſſibus, cum ablatione totius oſsis; imò & membri, (*A*) In majoribus, cum ablatione partis, cui ineſt, uſque ad oſsis cavitatem: (*B*) Licet enim infantem EXOSTOSIN, medicamentis, faſciis, ligaturis, inſtrumentis, deprimendam continendamque intra terminos, præcipiant auctores Chirgurgi, vanum eos ſanè molimen & irritum laborem actori imponere, expertus ſum non ſemel. (*C*) Ejuſdem commatis commentum eſt, recentem, vel inveteratam EXOSTOSIN, cute aperta, radulâ, ſcalpro, cuneo (oſſe, ex quo, relicto in integrum & probè conſolidato) ita poſſe auferri; ut poſtea nunquam aſſurgat, ulcus poſt ſe, aut fiſtulam relinquat (taceo ea, quæ in quaſi cautelam & præſidium vocantur adducunturque, cauteria actualia, oſſa vitiata deſiccantia, ſeparantia &c. Medicamenta) ex eorum omnium faſtuoſo apparatu patet, partem illam oſsis, ex qua EXOSTOSIS luxuriat eſſe parti ſanæ, adimendam, vel ita diſpoſitione ſua & vitâ deſtituendam; ut, quemadmodum, ſcaturigine ex qua, fonte ex quo, obturato, oppilato, alluvionis liquidi; ita de noviter luxuriante EXOSTOSI, metus meritò ſit nullus. Tutiùs, citiùs jucundiùſque ergo: TELESPHORUS enim adeſt, is agit, qui huic malo infanti celeriter, methodo mea memorata, medicatur;

(5) Hoc quod probabunt ſequentia indubitata & ad normam Anatomico-chirurgicam producta exempla, experimenta; ut & peractarum in curationem rerum hiſtoriæ & eventus.

(*A*)



Fig: 1.





Fig: 2.



(*A*) Anno MDCXCVII, ostendit mihi *Lugd. in Bat.* Vir Juvenis XXV, ann: ætat: sanus toto corpore, si quis, munere faber lignarius, digitum suum minimum, enormiter, phalange ossium tertiâ, tumentem; expetens, hilari planè fronte, eum manui dextræ adimerem; pro ratione adducens, ejus in manu usurpanda, incommodum, inutiles diuque adhibitas, cum pecuniæ dispendio, medicationes interque illas reverà ridiculas quasdam, quas tamen tacuisse non nocebit; enarrans porrò, ullo sine dolore, aut alio, præter immodicum partis incrementum, symptomate, jam tum ab multis annis, accrevisse hunc tumorem; quem dissipare &c. frustra conati essent duo Chirurgi: cæterùm totam manum digitosque cæteros, omni promptos sibi extare motui usuique.

Digiti oculique mei, cum attentione huic tumori injecti, me mox certò docuerunt detexeruntque Exostosin; cum autem in superficie hujus intumescentiæ generaliore, particulares quasdam observarem prominentias easque continuò augeri magisque & magis extendi intelligerem, multùm procrastinare ejus ablationem ratum duxi minimè; ne moras nectitando, lascivienti naturæ, vel hujus partis luxuriei, vires & opportunitatem ulterius peccandi, fecisse viderer. Ut sese inspiciendus hic exhibuit digitus, ante truncationem, demonstrat:

Tabulæ primæ, Figura primæ.

A. Digiti minimi primus et

B. Secundus articulus benè constitutus,

C. Tertii media pars, Exostoseωs excrescens et luxurians.

D.D. Extuberantiæ in hoc osseo tumore ejusque superficie particulares et variæ.

E.E.E. Totius tumoris circumferentia.

 dum

dum autem aliquot dies expeterem, quibus de incremento hujus tumoris aliisque, tali in negotio, considerandis perperpendendisque me ipsum instruere valerem, ægrè mihi concessit homo patiens tres, urgens digiti sui truncationem maximè; ne dixerim insolenter;

Metacarpio itaque, tumore prædicto totaque manu omniumque horum dispositione ritè perlustrata, quarto ab inspectione die, EXOSTOSIN hanc, cuneo, ad ejus figuram, fabricato & uno malleoli ictu, sincera de parte amputavi, resecavi, insigni sine hæmorrhagia.

Vixdum, cum stiptico pulvere, apparatus, qui requirebatur, vulneri erat adhibitus, quin homo patiens, fortem qui se inter agendum, præstiterat, cachinnos inter & mussitationes, ajat; **nu zal het immers lukken!** id est, *jam demum succedet!* ego sanè & imò omnes adstantes, mecum credebamus eum, peracta truncatione, liberatum se ab omni hoc malo ejusque populatione & incommodo, statuere; verùm quam in sinu, quam in intimis ossium medullis fovebat spem quodque gaudium, apertiùs statim detegit; *amica, inquit, mea, mihi conjugii fidem dedit & præstabit, ea conditione; ut hoc sine tumore ad eam reveniam: eccam! jam nunc adeo eam facturus meam.*

Curationem quod spectat, illa brevi omnimodò, levioribus adhibitis, secundùm artem, medicamentis, peracta est integrè annuloque ei accedente pronubo, postea se homo hic bis & ampliùs dixit felicem.

Ut sese memorata hæc EXOSTOSIS, post trucationem habuit, videre est;

Tab.

Tab. Hacce & quidem fig. secundâ.

A. & B. Præmonstrati digiti minoris articuli superiores benè constituti.

C.C.C. Margines vulneris et truncatæ partis, in qua apparent;

D.D.D. Exteriorum toti corpori communium involucrorum ut et

E. Ossis Metacarpii et

F.F. Tendinum quorundam abscissorum, vestigia.

Ulteriore & quidem anatomica, hujus tumoris disquisitione reperi quoque, phænomenorum respectu, mea asserta (3) probata: ossi etenim huic, supra & infra Exostosin, constans & requisita erat dispositio; nulla asperitas; cum vicinis ossibus debita conjunctio; periostium ritè dispositum et sequax in ossis luxuriem & extensionem præternaturalem; succus itidem nutritius, ossium cellulas, laminarum strias, fibras, sive tubulos distendens, osseam hanc molem, saccharatorum adinstar tragematum impleverat abundè; succus, inquam, nutritius & abundans; alio verò nomine non peccans: nullibi etenim locorum extùs, nec intùs inflammationis, acrimoniæ, putredinis, vel corruptionis, vel minimum aliquod mihi licuit observare signum, vel vestigium. Circumjunctæ quoque cartilagines, membranæ, tendines ipsaque, cum omni exteriore corporis velamento, pinguedo, verbo, omnia erant benè disposita et sana;

Ut autem hominis magni ossis Exostosis rarò (nunc cum, nunc sine ratione) conditione memorata, ipsis auferatur, concedunt & tamen aliud non datur medium curationis; ita hoc malum, hanc luxuriem incurabilem, quasi, habeo; quod si verò per ipsos liceret, in ipsos, secundùm rationem & artem agere, eos, ut plurimùm

mùm evasuros curatos verissimum est: si enim pars quædam majoribus ossibus, puta femoris, tibiæ, adjutorii &c. transversim, relicto hoc osse superiùs & inferiùs in integrum, ab ipsa natura, vel casu auferatur nihil in medio existente osseæ substantiæ, ut factum vidi sæpiùs testanturque Chirurgorum monumenta, quid quæso illud periculi erit, quod mihi, hac in operatione dubium impertiat? agenti secundùm artem Anatomico-Chirurgicam; quia verò insuper hic morbus (EXOSTOSIS) lentò progreditur, dolore vacat & magno quandoque hominibus incommodo non est, defertur curatio & conceduntur luxuriei huic sese amplificandæ & extendendæ venia & vires.

Utriusque asserti (B et C) exemplum sequens exhibet, cum schematibus, historia.

Anno MDCLXXXIX. viri ætat: annor: LII. munere mercium bajulatoris, tumore durissimo in ossis femoris parte superiore ab multo tempore laborantis, cæteròquin sanissimi; nunc verò ex pluritide demortui, cadaver, hac parte, rogatu Clariss: Medici et Chirurgi, qui eum tractitaverant, inspexi anatomicè vidimusque quam propono EXOSTOSIN,

Tab. secundâ, Fig. primâ refertque hæc, parte ab antica, & laterali, ossis femoris sinistri partem superiorem.

A. OSSIS FEMORIS CAPUT.
B. TROCHANTER MAJOR.
C. . . . . MINOR.
D. PARS OSSIS FEMORIS SUPRA,
E. . . . . INFRA EXOSTOSIN, NATURALI DISPOSITIONE PROSTANTES.
F. IPSA EXOSTOSIS, CUJUS LAMELLA VITREA GLABRA ET ÆQUALIS EXTAT, EXCEPTO
G. EO LOCI, CUI, APERTA CUTE, DESICCANTIA PRIMÒ ET DEINDE ESCHAROTICA FUERUNT ADHIBITA MEDICAMENTA.

H. LIM-

Tab: II^da.

Fig: 2da.




Fig: 1ma.




Fig: 3^tia.



Fig: 5ta.



Fig: 4ta.



H. Limbus, circumvolutæ hujus excrescentiæ, inhærentis pedunculo, qui ad latus ex ipso osse assurgens, hac in delineatione, propter tumoris umbram, demonstrari non potuit; quapropter, ipsum hoc os exostosinque ipsam serrâ per medium fidi; de hacce autem repræsentatione statim. Idem hoc os femoris, unà cùm ejus EXOSTOSI parte a postica exhibet;

Fig. Secunda.

A. Ossis femoris caput.
B. Trochanter major.
C. . . . . minor.
C. Pars ossis femoris supra,
E. . . . . infra EXOSTOSIN, naturaliter dispositæ.
F. Ipsa EXOSTOSIS.
G. Lamellæ vitreæ, difractæ carieique, contra artem, excitatæ documenta; unde homini, dum viveret, cum dolore impurum, fuit inflictum ulcus.

Figurâ tertiâ depingitur serrâ fissi, hoc loco, tum ossis femoris, tum ipsius exostoseos, interior adspectus.

A. Trochanter minor.
B. Os femoris supra,
C. . . . . . . infra
D. EXOSTOSIN;
E. Ejus pedunculus.
F. Lamella vitrea, ubique locorum dura.
G. Cellusosa ossis substantia, omni ablata medulla.

Figurâ quartâ delineatur interior ipsius EXOSTOSEOS ejusque de ossis femoris parte sincera, innocua, sive nullo morbo tentata (luxurie excepta) exortus & pedunculus.

A. Os femoris serrâ dissectum.
B. Ejus cavitas.
C. Pedunculus EXOSTOSEOS.
D. Ipsa EXOSTOSIS.
E. Ejus limbus, instar fungi, circumvolutus.
F. Ossis femoris cellulosa et fibrosa substantia.

Quantùm ab EXOSTOSI ejusque dispositione, distet ossis FUNGUS, vel morbosa fungiformis excrescentia, videre est;

FIG: 5tâ; Quâ depingitur, de osse femoris, aspera prostans superficie, omni ablato periostio et extus ex durissima; intus verò molliore ossis parte, assurgens fungus.

Hisce non obstantibus, cum ratione & experientia adductis; asserunt tamen quidam, se Exostoses curavisse medicamentis absorbentibus, desiccantibus; alii, depascentibus, escharoticis &c. hi, radulis; illi, inustione; sed ut quod verum est, asseram, ego pro comperto habeo, ab ipsis tophacea & callosa concrementa (sub Exostoseos titulo) ossibus fuisse ablata: sic infausta furente Venere, aut spinâ ventosâ intus agitante, solutâ vitreâ ossium lamellâ, ossa eorumque fibrarum tubulorumque compagem solvente, corrumpente atque ex ea muco, callove, indurata assurgente, quibusdam Exostosis est; sed quàm malè tibi, *æquo lectori*, dijudicandum trado: vera itaque Exostosis *mandragoræ*, *cicutæ*, *Hyoscyami*, nec *urticæ mortuæ*, jugere, vel *multâ muriâ*, *vetusto caseo*, aut *pyritis usti scobe*, prædicent qui volunt horum medicamentorum virtutes! dissolvetur, aut intra terminos coercebitur; sed enarrata methodo curabitur semper.

EXER-

EXERCITATIONUM ANATOMICO-CHIRURGICARUM *DECIMA*; DE Visus abolitione, AMAUROSI; Dicta, GUTTA SERENA.

Varios extare morbos variisque de causis ortum sumentes, quibus luminis materiæ actuique, via aditusque ad cerebri partes visui dicatas, præcluduntur & arte quandoque aperiuntur denuò, medicinæ peritis constat ubertim; sed verò visus abolitionem, AMAUROSIN dictam, (1) unam solummodò & specificam causam (2) nullumque agnoscere remedium, ad oculum; ut ajunt, demonstrare aggredior: eò magis, quia tum veteres, tum recentiores hoc de morbò agentes, semet ipsos, aut suos lectores mihi decipere; aut confundere videntur eoque maximè ad hoc thema exornandum trahor; quoniam medicationum quorundam methodo ægri, alias sanitate totius corporis fruentes integerrima, pessundantur: de remediis, statum corporis non mutantibus in pejorem, id est, nihil, præter lucrum imponenti afferentibus, monebo nihil: inveteratum enim hoc scelus ferro, nec igne, multò minus reprehensione curabitur: præstat tandem mea animi sensa, hoc tempore, de prædicto morbo, aperiam, quo homo quispiam medicaster, AMAUROSIN veram, diviti vetulæ (diviti inquam) pthyalismo tollere aggressus est miseramque post varia tormenta, in marasmum seque in multorum cachinnos, ut Plutus thesaurophagos, conjecit.

Non te morabor (*Lect: Beniv:*) recitando multas ſententias opinioneſque varias variorum auctorum, de cauſa & effectu AMAUROSEOS: cantilenæ etenim huic nullus eſſet finis: hic, namque *calculum in nervi optici media ſubſtantia & quidem fabæ magnitudinis*; ille, *tumores in cerebro*; unus; *arterias*, *multo ſanguine, turgidas & nervum opticum comprimentes*; alter, *defectum arterioſi ſanguinis & nervos opticos flaccidos ſpirituque animali deſtitutos*; quidam, *opticos ſpirituum horum copiâ tumentes nimium* & quæ porrò enarraviſſe mihi tibique tædio eſſet, hujus morbi cauſam conſtituit; conſtituant ergo, quod hac in parte volunt alii, ego (ſalvo perſpicaciore, cum fida & feliciore manu Anatomica, judicio)

(1) AMAUROSEOS cauſam ſtatuo, *deficiens ſtaminibus nerveis opticis liquidum*; unde motu privantur & uſu, relictis omnibus oculum conſtituentibus partibus inintegrum: ſemper enim pupilla, in AMAUROSI, præter modum, dilatata non conſpicitur; cum autem oculi bulbus moveatur, nemo ſit, qui hunc affectum, motorios oculorum nervos infeſtare, autumet.

Aridæ ſenectuti hunc morbum, frequentiorem, quàm ſucculentæ pueritiæ & juventuti eſſe, colligendum itaque eſt facilè;

Sed verò & poſtremis quandoque accidere, macie & maraſmo totius corporis præcedente, HAGÆ-COMITIS, in via de Nieuwestraat/ ſutoris infans & AMSTELÆDAMI, Juvenis ROODENBURG, probavère.

Quod ſi conflacceſcente, aut nimium compreſſo, concuſſo, læſove nervo optico, vel ipſi incumbente arterâ obſtructâ, vel cum vicinis partibus, intus, aut extus læſis, ſimul patiatur hic nervus indeque viſui hebetudo, obfuſcatio & detrimentum oboriatur; id tamen minimè AMAUROSIS erit: curari enim poſſunt curanturque ſæpius hæc ſymptomata; AMAUROSIS verò nunquam; de ratione quare mox.

Conſtitutâ morbi cauſâ ſupervacanea videri poteſt diſtinctio & ſexcenties repetita differentia, quâ eum in incipientem & conſummatam, ab externa, vel interna cauſa dividunt & deducunt: uſque enim dum ad hunc gradum viſus abolitio non pervenit; ut AMAUROSIS dici, juxta cauſam & effectum, queat, aliûd genus

nus morbi eſt. Si quis forſitan regerat, morbum hunc; ut omnes, ſuum agnoſcere principium eique eſſe mox obſtandum, ne morâ incurabilis evadat; reſpondeo, ex partibus oculorum affectis, de morbo ejuſque eventu, dijudicari cum poſſit optimè, dijudicaturum unumquemque ſagacem Medico-Chirurgum, de quo ſollicitudo eſt, morbus AMAUROSIS ſit, vel non? quod ſi, incurabilem, ſi non, curabilem renuntiaturum; ſed inſpiciamus trutinæque rationis ſubmittamus (*Lect. Ben.*) practicorum in hunc caſum medicationes præſcriptionesque, ut decet, modeſtè.

Hæ, pro cauſarum (ſcilicet) varietate, ipſis ſunt variæ; primarius autem ſcopus in deobſtruendis; ſecundus in corroborandis nervis opticis videtur collocatus; quod fit (A) purgantibus alvum, (B) narium mucosum & lacrimale fluidum propellentibus, (C) cerebrum ab humido peccante liberantibus & poſtea, confortantibus, ſive cephalicis medicamentis & tandem (D) generaliore evacuatione, quorum exoptandus chyloſo-lymphatici laticis de tota maſſâ-ſanguinea promoventibus, id eſt pthyaliſmo, effectus erit concreti liquidi nervei diſſolutio; ſanguinis concreti (dicti obſtructi, vel obſtruentis) præſertim verò arterioſi propulſio vicinarumque partium ſolidarum in tonum & diſpoſitionem requiſitam, reſtauratio, confirmatio. Magnifica verba & bona ſanè, ſi modò ex AMAUROSI laborantibus viſus hiſce reſtauraretur.

(A) Quid quæſo emolumenti, alvum purgantia, adducere ad tollendam AMAUROSIN valebunt? is ne, qui in ſtomacho & inteſtinis hæret latex, nervis opticis gravis eſt? an verò vos metus occupat, vitiatum hunc poſtea infeſtaturum hoſce nervos & quidem ſolos & quidem AMAUROSIN conſtituturos? unde hic vanus iſte metus? ſi quoque AMAUROSIS hac methodo curari poſſit, quid eſt, quod tantopere circumſpiciatis difficillimæque curationis eam pronuntiatis? in promptu enim alvum purgantia & ad nauſeam uſque præ manibus ſunt.

(B) Hoc ut præſtent, præſcribunt errhina, ſternutatoria, naribus admovenda, ex *Rad: pyret: helleb: tabac: Herb: origan: Euphorb: &c.* ut vi actus ſternutationis deobſtruantur nervi optici ſimulque expellatur concretum & obſtruens eos liquidum;

Sed verò hoc ubi fit, contra generale axioma Medico-Chirurgicum, in curandis oculorum morbis; *abstinendum ab sternutatoriis*, peccatur: ita apud Experient. G: F: HILDANUM, exemplum videre est, CENT: PR: OBSERV: XXIV, *Obstructorum nervorum opticorum ex sternutatione & ex hac consecutæ cæcitatis*: imoverò ita hisce medicamentis, secundum magnum hunc virum, peccatur; ut tandem in hæc verba erumpat: *Hinc apparet quantùm hallucinentur, qui in nervorum obstructione, aliisque morbis oculorum errhina & sternutatoria præcipiunt & adhibent, &c.*

Quid quæso medelæ huic morbo *masticata nux moschata: sem: fœnic:* & similia adferre valebunt? particulæ, nempè, subtilissimæ horum medicamentorum penetrabunt omnes partes circumvicinas adibuntque solos nervos opticos eosque ab obstructione (Chimera) liberabunt: hoc statuat anus, vel alyptes; sed quis adeptorum Medico-Chirurgorum asserit ab se AMAUROSIN, hisce medicamentis, curatam? (C) hæc generalis nimium est medicatio; ut solis nervis opticis competere videri possit. Qui tandem (D) Pthyalismum; ajunt enim, *si sternutatio non prosit, ad salivationem deveniendum: constat enim mercurialia potentissimè per nervos, glandulas & vasa lymphatica penetrare obstructionesque eorum tollere*: mercurii vi; in auxilium vocant, quid multo hoc molimine, agunt? respondebit horum nugatorum quispiam, se totum humorum laticem agitando curare; ut qui in nervis opticis est, vel iis adhæret concretus liquor, colliquescat simulque de nervis hisce totoque corpore eliminetur. Bellè secundum te; una, unica guttula concreta; imò centesima ejus pars AMAUROSEOS causa existere potest; hanc ut corrigas expellasque, totum subjicis hominem molestissimæ & nulla ratione nitenti, medicationi: urgeo insuper, fluctitante liquore nerveo, non produci AMAUROSIN: adde mercurio liquida concreta omnia non resolvi; verùm subtiliores eorum partes in majorem actum ductas dissipari, spissas verò in spissiores converti; concretionem hanc liquidi in nervo optico & inde exortam obstructionem AMAUROSEOSQUE causam imaginariam & ex possibilitate veterumque narratiunculis potius, quàm rei veritate suppo-

ſuppoſitam, quis non videt? ex cadaverum etenim inſpectione proditum habeo & conſpectum, in hoc morbo, nervos opticos non tantùm non diſtentos; ſed emaciatos induratosque extare; in ſenectute, videlicet, toto corpore nervorumque ſyſtemate exareſcente æquum videtur exareſcant quoque optici & quid mirum, hoc ſi nervis accidat? cum præſentibus plurimis Medicis & Chirurgis *in Foſſa* de Blomgragt AMSTELÆDAMI ſenis cadaver perluſtrans, magnam magnæ deſcendentis arteriæ partem, non longè a corde, integerrimè oſſeam viderim ipſe.

A ſanguiferorum vaſorum, circa & ad nervos opticos collocatorum irregulari diſtentione, eos comprimi & viſus obfuſcationem; quinimò, pro tempore, cæcitatem ortum (non verò AMAUROSIN) ducere poſſe, non eſt quod negem; ſed morbo huic vitioque huic vaſorum nimiùm turgentium, in promptu remedia medicationeſque ſunt, motum ſanguinis ſiſtentia & tandem non deerit ſcalpellus; ut quod peccat, diminuatur: verùm cum in AMAUROSI, inflammatio neque dolor ſit, extenſio vaſorum præternaturalis, hujus mali cauſa, videtur, minimè.

Venæſectionùm ergo, itidem veſicatoriorum, cucurbitarum, cauteriorum actualium, fonticulorum ſetaceorumque &c. inutilis, hoc in caſu, eſt ad curationem, apparatus: non enim autumo, hoc ſeculo, inter nos inveniri Medico-Chirurgos, revulſioni retractionique humorum fidem præſtantes: vaſa porrò lymphatica, cum non ad oculos; ſed de iis, ſi qui inveniantur, ſuum proventum vehant, quid reſpectu eorum, in nucha & quid reſpectu AMAUROSEOS benè fit? interceptus abs te ſi non fuiſſet (intercipis enim hunc ut ajis liquorem) in uſum corporis ſeſe iterum ſanguini commiſcuiſſet: præterea, quomodò probabis iſtum liquorem, quem ex vaſis lymphaticis hauris, eſſe vitiatum? & AMAUROSEOS cauſam extitiſſe? quinimò ego opinor, quod, prædicta methodo liquidum corpori adimitur, non ex vaſis lymphaticis; ſed verò arteriis depromi petique. Si arguat, parcus neotericorum dogmatum cultor, maſſam ſanguineam liquidumque generale, præcedentibus mediis, diminui, regero, reſpectu totius hujus maſſæ, ridiculum

fore,

fore, ſuſtinere, levi paucaque hac exoneratione eam, in commodum laborantis ex AMAUROSI oculi, diminui.

Conſtat omni modo, AMAUROSIN ſenilis, non juvenilis oculi eſſe morbum & (2) incurabilem: quis ſenum rigeſcentibus articulis tendinibuſque mobilitatem & requiſitam reſtituit, cum priſtinæ vitæ vigore, flexilitatem? ego itaque tali ab molimine mentemque manuſque abſtinebo: ægregium hoc ad facinus altera Medea opus eſt, quæ Æſoni juventutem reſtituat.

Quemadmodum, per omne hoc ſcriptum, poſitiones & aſſerta exemplis, quoque elucidare ſtudui; ita & huic ultimæ diſſertationi illud non deerit.

Pater meus, cujus manes veneror intimè, alta cum premeretur ſenectute: vixit enim annos octoginta & octo, cecidit circa ſeptuageſimum, toto corpore alias ſanus & ſana conſtans mente uſque ad extremum vitæ halitum, in membrorum rigiditatem & brevi poſt in AMAUROSIN, quam immedicabilem mecum experti ſunt Viri Amſtelædamenſes Medico-Chirurgi multi & famigeratiſſimi comperique in eo falſum eſſe hoc quorundam aſſertum: *uno ſenſuum organo turbato, impedito, labante, alia etiam infici:*

Venerandæ quippe memoriæ meus Pater cæcus vixit integros duodecim annos intereaque temporis ne aliquod quidem detrimentum aliorum ſenſuum paſſus eſt; imò verò auditus olfactus guſtuſque incrementum accepit; ita ut muſſitationes murmuraque audiret, effluvia corporum olfaceret linguâque & guſtus actu præ juvenibus valeret;

Sed videbor procul dubio quibusdam, nempè, lucripetis minus gloriæ Medico-Chirurgices famæque meæ conſulens, inops remediorum, timidus & deſperans, difficilibus Reipublicæ Apollineæ temporibus & tandem inutilis poſteritati; verùm fore confido, ut apud erectæ indolis homines & cordatos artis noſtræ fautores id ſaltem laudis obtineam; me, hoc ſcripto larvam multis præſumptuoſam & iſtis ſolis proficuam, detraxiſſe miſeriſque hoc ſolatii attuliſſe eoſque docuiſſe, dari morbos malaque ab ipſo principio incurabilia. Deoque uni ejuſque miſericordiæ committenda patienter: *licet enim* (*Lect. Ben.* vide obſerv: aug: Thoneri pag. 117.) *trecentas viperas, in Italia captas, florenis emeris trecentis pulloſque gallinarum earum carne pinguefactos, ægro ex amauroſi laboranti obtuleris manducandos, per ſexaginta dies*; videbis tamen (de curanda enim AMAUROSI; non verò de diæta ſenibus præſcribenda, jam nobis ſermo eſt) eum non videre ſplendidamque te adhibuiſſe, ſine fruge; ne dixerim riſu condignam, medelam.

DECADIS SECUNDÆ

FINIS.

G: BIDLOO;

DISSERTATIONES
ANATOMICO-
PHYSIOLOGICÆ
QUATUOR,

QUONDAM

In

ACADEMIA, QUÆ EST LUGD: IN BAT:

DISCUSSÆ.

TYPOGRAPHUS
L. S.

Cum quæ sequuntur DISSERTATIONES ANATOMICO-PHYSIOLOGICÆ, *ita sint distractæ; ut nullum earum exemplar distribuendum prostet, hujus scientiæ fautoribus ac studiosis, petentibus denuò eas imprimam, opportunitate, quâ Cl: auctoris aliud opus publici facio juris, non obtemperare, piaculum duxi: habe ergo (L.B.) quod desiderabas meritò.*

DISSERTATIO
PRIMA;

Defendens cujus fuit,

Nobiliss:

BERN: HERM: KETTELER,

Monasteriens:

I.

Animalia producuntur ab sibi similibus,

II.

Non ex putredine, luto, limo, mucagine; sed

III.

Ex ovo, materia in formam ovi congesta, disposita, conglobata,

IV.

Comprehendente omnia lineamenta requisitaque ad animalis structuram, accedente motu & extensione, efformandam.

V.

Physiologiae pars maxima, in re medica, est corporis humani ejusque oeconomiae cognitio; haec acquiritur,

VI.

Anatomiâ, quae constat in perceptione & demonstratione vera, structurae, motus & usus partium specificarum corpus integrantium, ut & totius corporis.

VII.

Status viventium est duplex diciturque Sanitas & Morbus.

VIII.

Sanitas (de morbo in posterùm) est, omnium partium corpus, vel animal integrantium, debita structura & dispositio;

IX.

Ex hisce omnis actio; quae est,

X.

Per se animalis, animae, vel automatica; exinde liquet propriè,

XI.

Non dari actionem passivam: automata quippe, hoc

ſenſu, non agunt; ſed aguntur; licet agendo agens Phyſicè patiatur.

XII.

Quæ partes ejuſdem ſunt ſtructuræ & diſpoſitionis, operantur eodem modo, per totum corpus.

XIII.

Ubi ſtructura, aut diſpoſitio, ibi etiam actio & officium partium, poteſt mutari.

XIV.

Quae Totum integrant, non poſſunt, ſine laeſione totius, auferri, vel aliter diſponi.

XV.

Totum corpus debet, Anatomicè, diſtingui in partes ſolidas & fluidas.

XVI.

Omnium partium continuitas ex immediato laterum contactu eſt & ſic conſtat pars ſolida.

XVII.

Fluiditas, vel fluxilitas eſt partium mobilis & mediata conjunctio.

XVIII.

Labyrinthus eſt diſtinctio corporis in partes ſpermaticas & ſanguineas, principes, miniſtras, continentes & contentas, diſſimilares et ſimilares et ſic porrò: unaquaeque etenim pars eſt

XIX.

Anatomicè, diſſimilaris, Phyſicè Similaris.

XX.

Omnis pars ſentit, ſi integra ſit: gaudet enim vitâ cum

toto corpore communi, ex officio nervorum, arteriarum et venarum.

XXI.

Insensibilis dicitur (absit logomachia) si propter tenuitatem sensus fugiat estque nihilominus corpus, materia motui subjecta.

XXII.

Quæ imaginatione, omni in corporis statu, sola percipiuntur, intellectum, respectu alicujus veritatis, non autem ipsam perceptionem decipere possunt.

XXIII.

Septem res, quæ vulgò constituere humanum corpus statuuntur, non res; sed vitandæ sunt, veritatis studioso, chimeræ, intellectus, ratione non satis confirmati, ludibria & somnolentorum veterum, non venerandorum antiquorum Doctorum spectra hujusque farinæ sunt,

XXIV.

Non intelligibilia verba, facultas, qualitas eorumque attributa, ut intemperies sicca, calida; extensio, dimensio, sine materia, forma, sine subjecto.

XXV.

Omnes nervi, arteriæ, venæ, lymphaeductus, musculi, glandulæ, ossa et massa sanguinis pertinent ad unam & suam congeriem efficiuntque unum contiguum corpus.

XXVI.

Nervi sunt corpora (Anatomicè) solida, tensilia;

XXVII.

Membranæ omnes tendines &

XXVIII. Glan-

XXVIII.

Glandulæ, aut carneæ, aut vesiculares.

XXIX.

Harumque genera, duo;

XXX.

Arteriæ, venæ & lymphaeductus operantur eodem modo, respectu liquorum in eorum capacitates congestorum, ac oesophagus, stomachus & intestina, respectu motus progressivi alimentorum; quinimò, ut in hisce, ex glandulis majoribus, ita ex minoribus in iis, exprimitur succus ad sanguinem, in iis ad alimenta solidiora dissolvenda separationique motuique aptiora reddenda.

XXXI.

Ut Cor, ex musculis machina, sanguinem excipit & ejicit; ita musculare organum ab gula ad anum, variis sub nominibus, mox designatis, alimenta fluida succumque ex glandulis in usum & commodum solutionis ingestorum excipit, exprimit, in vasa lactea deponit, excernens reliquias non satis solutas, in hunc finem,

XXXII.

Varius Musculorum ordo, potius dispositio, cujus primus usus in ore post receptionem alimentorum solidorum est, eorum Masticatio, prima ad chyli praeperationem operatio; inservientibus simpliciter omnibus Musculorum ordinibus compressioni organi Chyliferi, id est, ductui ab Pharinge, ad anum, extenso.

XXXIII.

Hac ex demonstratione patet, concoctionem, fermentationemve (de quibus ut & de segregatione liquidarum partium

tium ab fluidis; Methodo Chylificationis; nutrionis aliisque in posterum) hanc per machinam et hoc in organo non fieri, quatenus ex musculis conflatur, nec vi, vel virtute eorum perfici; aut confricatione, contritione alimentorum, vel laterum contactu et sola collisione Stomachi peragi; sed

XXXIV.

Toto in tractu intestinorum, requiri liquidum,

XXXV.

Variis constans particulis, plus, nempè, minusve fluidis, tenacibus &c. Pro officio,

XXXVI.

Diversis: hoc liquidum ex glandulis, variis locis collocatis, adferri ac

XXXVIII.

Misceri cum alimentis, ex quibus eliciendus est succus nutriens;

XXXIX.

Liquidum hoc, succum hunc, exprimi in vasa lactea & dici

XL.

Chymum, vel Chylum, ulteriori segregationi subjiciendum Animalisque nutritioni adaptandum.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA;

Quam defendit,

Nobilissim:

NICOLAUS BIDLOO;

Amst: Bat:

XLI.

Succum hunc nutrientem, sive nomine Chymi, minus elaboratus in stomacho, vel Chyli, ritè præparatus in intestinis & lacteis reperiatur, liquorem esse gelatinosum, lenem, lacteum, verò salsum, nec acidum, contra quæ floruit diu hypothesin, statuendum;

XLII.

Quemadmodum autem sanguis ab venarum capillaribus in majores progressus ramos, non floridus; sed lividus, ex rubro obscurus apparet;

XLIII.

Ita & lactea, nutriens materia, motu & vi compressionis musculorum intestinalium, non verò fermentatione, in vasculis hunc succum deducentibus, expressa; quo magis ductum appropinquat majorem, minus est lactea magisque lympida:

XLIV.

Huic enim in toto tractu, imò & in ductu thoracico multum admiscetur purissimæ lymphæ, partim ex glandu-

lis intestinorum syrmatis, quarum maxima copia in ileo est, partim ab lymphaticis; de bile autem atque succo pancreatico ejusque cum chylo commercio, inferius;

XLV.

Non rarò colore tinctus sanguineo & saturato; quinimò cum sanguine puro commixtus, chylosus conspicitur liquor;

XLVI.

Vicinis, scilicet, in ductum thoracicum ejus anfractus lymphaticosque & lacteos eructantibus tubulos liquorem suum arteriis, vel venis:

XLVII.

Quo in casu, vasculi cujusdam sanguiferi non debita, aut œconomica statuenda est continui solutio.

XLVIII.

Chylus, nutriens, vel extendens corporis partes omnes & singulas, ex ingestis solubilibus ab intestinis tenuioribus

XLIX.

(Licet inficias nullus eam, dari in crassis & posse dari in stomacho lactea, id est aliquando: non autem ordine & tantùm in hoc, vel illo individuo animali)

L.

In vasa lactea primi secundique generis expressus & lymphâ undique adauctus & adauctus undique lymphâ, per ductum thoracicum, mediante venâ subclaviâ, cum sanguine commixtus & per arterias ad tubulos nutritioni proximè dicatos, delatus,

LI.

Sui corporis, vel materiæ suæ appositione, agglutinatione, impletione, loca hiatuum & interstitiorum partium ab sese invicem, vi impulsionis hujus succi, cedentium implet, partium lateribus apponitur & hoc modo adaugentur;

augentur, extenduntur, crescunt, nutriuntur singulæ corpus integrantes partes, ubi opus est;

LII.

Quæ autem in mammis lactitantium embryonumque vasa sunt, aut dicuntur lactea, hoc thema non spectant ideoque de hisce ordine & proprio loco postea.

LIII.

Ex prædictis colligere est, primò; in homine, habita valvularum horum vasorum ratione, nihil chyli, vel chylosi cremoris, nec fluidi, vel crassioris ejusdem substantiæ, per meseraicas portaeve venae ramulos, deferri ad hepar, nec cavam:

LIV.

In Animalibus verò lacteis hisce, in mesenterio, carentibus, puta volatilibus, aliam esse succi nutrientis dispositionem, secretionem, depositionem, distributionem, autumo.

LV.

Secundò; Nullas sanguine, propriè, nutriri partes;

LVI.

Licet ex miscela, mixtura, sive liquore, qui nomine sanguinis venit, omnium specificorum liquorum in corpore investigandorum dispositio sit repetenda, indaganda, perscrutanda.

LVII.

Tertiò; inservire sanguinem nutritioni; sed secundariò: adaptantur enim circulationi & porrò agglutinationi partium lacteæ chylosæque hæ particulæ, sanguineorum globulorum motu ac confricatione: quæ enim glutinosæ nimis, actu confricationis, contritionis, rotationis &c. liquidiores fiunt & fluidiores partiumque appositioni hiatuumque earum impletioni & sic nutritioni aptiores.

LVIII.

Quartò; ſanguinem ipſiſſimum partibus in incrementum apponi non poſſe: eſt enim pars cum toto creata, quam diminuere totum laedere eſt & (ſi unquam liceat) niſi ſummam ob cauſam, temerarium:

LIX.

Nam ut ſanguis nunquam in chylum, vel ejus formam & munus; ita & chylus (mutatione rei in rem aliam) nunquam convertitur in ſanguinem & ſic tandem deeſſet materia nutritionis, ſi ſanguis fungeretur officio prædicto.

LX.

Quintò; omnem ſuccum nutrientem non ab unaquaque arteriarum capillari extremitate ſemper effundi;

LXI.

Sed tranſire, ſi diſpoſitus nutritioni alicujus partis ad normam ſit, in glandularum tubulos;

LXII.

Reliquias verò craſſiores deferri in venas ulteriorique ſubjici motui, contritioni &c. nutritioni neceſſariæ.

LXIII.

Sextò, ſanguinis motum impediri ab hujus liquoris congelatione, viſcoſitate, ſtagnatione.

LXIV.

Atque ſic omnem inflammationis, ut vocant quidam tumorumque cauſam, non eſſe in, vel ab ſanguine ejuſque obſtructione, vel condenſatione.

LXV.

Ultimò; Nullam eſſe in vaſculis eorumque ſubſtantia, niſi ab vitiato hoc fluido, obſtructionis ſpeciem:

LXVI.

Quæ enim ex vaſorum eorumque laterum collabeſcentia, vel materiæ cujuſdam appoſitione interius, imo et mutatione

tione eorum in cartilaginem, vel os, vel ab calculis aliaque materia fit obstructio, mutatio, exsiccatio, ad hoc systema referri debet;

LXVII.

Hoc quoque fonte derivandæ petendæque multorum sunt aliorum morborum causæ:

LXVIII.

Effectus enim potius quam causæ, sunt antiquorum de morbis humorum descriptiones causarum.

LXIX.

Cum prædicto succo, bilis particulas ad massam posse deferri sanguineam, concedendum;

LXX.

Sed non, nisi tenuitate et solutione particularum laborante nimià, chylo:

LXXI.

Si enim visibiliter ex colore tingatur bilis, non fieri hoc, nisi in statu morboso:

LXXII.

Bilis namque est liquor, sive materia pinguis, oleosa, fermentationis chylificationisve non fungens officio; sed solutas ab sese invicem chyli crudioris conjungens particulas;

LXXIII.

Operari ad faciliorem ingestorum solutorum propulsionem versus inferiora, adstruo exemplo brutorum, quibus ductus cholodochus ipsi stomacho inseritur eoque voraciora sunt: Reliquias, quinimò particulas ipsius spissiores crassioresque excrementa concomitari, quis dubitat? qui faecum inspexerit colorem.

LXXIV.

Non autem acrimoniâ & vellicatione; sed continuato in-

testinorum motu faeces expellit quasque præterlabitur partes, glutine suo glabras reddit undique.

LXXV.

De saliva atque liquore plurimarum glandularum faucium oesophagique tractum ornantium, nihil moneo; cum ejus officium imprimis circa deglutitionis masticatorum negotium versetur.

LXXVI.

Succus pancreaticus, qui magna quantitate ex maxima omenti glandula, pancreate, in duodenum effunditur intestinum;

LXXVII.

In se & per se nullam habet aciditatem, vel acido salsitatem, neque acessit:

LXXVIII.

Figmentem itaque; sed non illepidum est, plurimorum, ne dicam omnium morborum, ex vitiato succo derivatio, origo & quasi causa.

LXXIX.

Ejusdem farinæ est de ejus in stomachum regurgitationis, operationis cum bile, effervescentiæ liquidorum ingestorum ut & sui corporis mutationis fabula: opportuna enim sua, videtur (quod de Vertumno dictum) cunctis natura figuris & in quamcunque vertitur formam, decorus succus:

LXXX.

Hic verò, lympha sui generis, menstrui adinstar ingesta chylumque dissolvit, diluit, fluidiorem reddit atque eidem ex parte, ut lympha, pro vehiculo est.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA;

Defensore

Nobiliss:

FR: H: DETHMARO;

Widenbr: Westphal:

LXXXI.

Chyloseos proventus omnis, sinistram in subclaviam venam, uno, vel duplici ductus thoracici delatus tubulo, cui; ut plurimum, regressum huic impediens latici, apponitur valvula, admiscetur,

LXXXII.

Liquori purpureo-rubicundo rutilantique, quod arterias, venas vasculaque pro venis inservientia occupat fluento, generali nomine sanguini; est autem sanguis,

LXXXIII.

Rubicundorum globulorum uniformiumque partium, in praedictis vasculis, congeries; antiquis homogenea:

LXXXIV.

Qui enim globulos inter circumque hosce chylus, aër, aut alia quævis extat materia, floridum hunc laticem heterogeneum reddit, nequaquam estque itidem, per se & in

ab-

cum quem continebat aëre, inter globulos mixtus & diffusus, sanguineam massam separando, reddit floridiorem in arteria magna omnibusque ejusdem divaricationibus. Adde, quod in subclavia & cava descendente; ut in omni vena, globuli sanguinei, depositis multis de latice nutriente particulis, compactiores glutineque chyloso, denuò contritioni præparationique ad nutritionem aptam subjiciendo, opaciores, quàm in arteriis observantur: chylo autem, etsi primo hoc ita appareat intuitu, globuli sanguinei debitè dispositi, inter sese non devinciuntur, uniuntur.

XCI.

Globulos hosce, corpora satis dura hæc, pro solidis, imò, respectu liquidi adjuncti habenda, coacervatim ex 2. 3. 6. 36. & pluribus, dicta vasa permeantia, interius cavitate donari, non concedendum: vi enim compulsi mutarentur figurâ, frangerentur amitterentque usum, cui destinati sunt, facilius. Cum è contrariò, vesicularum adinstar intus repletarum, partium motui vicinarum fortiter resistant, eas frangant figuramque conservent suam, vi quoque & ingenti opus sit; ut dissolvantur. Partes globulos hosce componentes, numero non augentur: sunt enim ab nostro fieri; sed muliebri in ovulo sanguinem præexistere; ut totum animal, sive ejus lineamenta, rudimenta, primordia, qui oppugnant, non unam duntaxat oppositionis cohortem, turmam, manipulum; verùm phalanges, legiones integras & plurimas in aciem cogunt. Hic, ardelio Mechanico Philosophaster, illic, Anatomico-Medicaster didasculus in arenam descendit; non desunt cum ducibus ferentarii, cum veteranis tyrones gregariique; impetum autem primum velites, jaculatores & omnis levis facit è longinquo armaturæ miles, Polylogiâ munitus, hoc modo pugnans. Si plus sanguinis obtineat homo adultus, quàm infans, opus est, ut sanguinis quantitas augeatur; atqui verum est prius, ergo &

go & posterius. Porrò; si augeatur numero, aut corpore; atqui augetur, ergo numero, aut corpore. Itidem; si secundum me corpore non augeatur, non augetur, atqui secundum te numero, secundum me corpore non augetur, ergo non augetur. Cui insuper Empyrico, observationum in promptu balista, agger, turris non est? hic trecenties sectam venam; iste vividas post multam narium hæmorrhagiam, omni depulso de facie pallore gelidæque mortis imagine, genas labiaque roseo tincta colore restitutumque pristinum corpori vigorem in prælia ducit. Quis illorum ariete, terebra, catapulta, cuniculo omnibusque aliis non utitur experientiæ suæ machinis? hoc ut destruat systema. Vocantur in subsidium mensium lochiorumque fluxus, Tumores œdematosi, tabes, hydrops, phthisis, bilis, lympha & tandem inflammatio, sanguinis æstus, spiritus, putredo, fœtor sanguisque in pus conversus, vulnera vasorum sanguiferorum sudoresque sanguiferi & ut omnia adhibeantur, advehuntur medicamentorum plaustra sanguinem incrassantium, attenuantium; ut & venæ sectionum præsidium imperatorium, quo, nempè, eâdem viâ, sanguinem nunc adducunt, tunc ab partibus deducunt: contra hosce & hæc autem, me meaque excipiendo, distinguendo & explicando, qua hæc methodo fiant, defendere conabor sedulò; quam suscepi doctrinam exornare pergo.

CXII.

Extendantur corpore, globuli sanguinei, explicentur, vel inter sua spatia, quidquam recipiant admittantque, quod hæc distendendo, fluidum in vasis sanguiferis iisque usu similibus augeat, lege sequatur distentionis partium naturali, necessum est;

XCIII.

Chylum autem quantitate variantem, pro subjectis, sanguineam longè licet superet massam, globulos hosce intrare

 atque

atque permeare, impossibile videtur, habita utriusque liquidi, per se subsistentis & Phœnomenis distincti; ut & usus, ratione. Aëra quoque globulos, negata eorum cavitate, non occupare eoque ipsos non distendi; ut ab inflato aëre, bulla aquea, rationi consentaneum videtur. Sanguinis itaque augmentum propriè est, aut impropriè percipiendum: propriè; ubi substantia globulorum distenditur, augeturve, ab materia huic corpori dicata, apta, analoga: ut fit in omni partium, cum toto viventium, extendendarum, sive nutriendarum œconomia. Impropriè; ubi numero augeri partesque quasdam in globulos sanguineos mutari, converti, renunciatur: illud etenim augmentum, totius laticis intra sanguifera vasa; chyli, liquoris vivificantis animalisque sustinentis vitam & aëris, non verò ipsius sanguinis, propriè dicti, haberi poterit.

XCIV.

Quâ consistunt globuli sanguinei materiâ, dictu est difficillimum; ex aquea autem & chyloso-oleosa, non conflari, argumento est; quod in animalis lineamentis, ovulo muliebri adhucdum inclusis, chylus non fuerit; ex chylo, ergo, formari non potuerunt: chylus quippe fit ab ingestis per os in intestinis, in horum rudimentis ingestum tum temporis, per os, nil erat; quocirca chylus sanguini pro materia, ex qua, esse non potuit sequiturque sanguinem ex materia integrante, ab aliarum partium distincta, in glutinosorum, sive vesiculosorum Globulorum formam & faciem extensam, exstructum esse. Ex hac materia posse, quæ indigitavi Positione 87. elici, sufficiat: quoniam intellectum humanum fugit intima rerum cognitio materiæque ipsa substantia & fabrica, uni Deo creatori, qui eam methodo mystica nobisque imperceptibili, de nihilo fecit, ut est, perspecta: quidquid enim materiale, vel corporeum apparet, intus habet quo non attingitur, ne vel cogitando quidem.

dem. Vitali propterea ſpiritu, nec materia primi Elementi, vel aëre, hæc in corpora globoſa fluente; ſed interpoſitione aëris particularumque chyloſarum impropriè, propriè verò appoſitione analogæ cum globulis ſubſtantiæ, eos extendi & corpore augeri, colligere æquum videtur.

XCV.

Si quiſpiam inſiſtat, partes ſanguineas, motu multo, rotundas fieri, velim idem is probet, ſanguinem ex particulis conſtitiſſe rectilineis, aut variorum laterum angulorumque, itidem non fuiſſe rubrum, tempore primo, noſtri fieri: dantur enim animalia, albo ſucco, loco ſanguinis, prædita: quinimò chylus antiquis, ſanguis albus, globulis (ſed non rubeſcentibus) non eſt deſtitutus; licet non concedam, chyli particulas, angulorum colliſione atque abraſione, inter rotandum cum ſanguine, in globulos ſanguineos, efformari convertique.

XCVI.

In ſanguine, latè ſumpto, non raro pinguedinem analogumque quid huic, ſæpius liquori, fœtui proximo intermixtum, detegi, Anatomicorum Phyſicorumque conſtat monumentis ubertim: Hæc autem maſſa liquorque hic concretus, ut & polypus in corde, ſive vaſis ſanguiferis, non ſanguini, propriè dicto; ſed Chylo ortum debet ſuum; quemadmodum ex utriuſque initio, fieri & incremento liquet: quæ enim tenax in Polypo materia, glutinis inſtar, primo compacta, firmiſſimè deinde cohæret, nil ſanguinis intus; extus verò aliquid nonnunquam connatum obtinet: ſi quæ verò, longo intercedente temporis tractu, maſſulæ huic arteriæ venæque affiguntur, connectuntur, non aliter ſeſe, reſpectu hujus habent, quàm arteriarum venarumque plexus reſpectu hydatidum, hordeolorum & id genus tumorum cæterorum. Non, quod eorum materia ex globulis ſanguineis conſtet; ſed compacta, ab putredine, ſive par-

 ticula-

ticularum agitatione contineatur indebitâ. Inde, nempè, ex partium quiete, omnis in polypo cæterisque tumoribus durities: expansione enim qui duri apparent, agitantur intus, aut digito contacti, molles inveniuntur, ut in œdematoso similique ex morbo tubere, comperire licebit semper. Fluidiores, ergo, cum limpido chyli latice, quasdam oleosas pinguesque ex ingestis, sanguineis intermisceri globulis particulas inque omnem, cum toto viventem partem, posse induci pinguedinem, cum ratione, tum experientiâ docemur abundè.

XCVII.

Nec, cum sudore, sanguinis effluvium, indicio sit; sudoris liquidum, rubedinem fingens, partem esse sanguinis; æque minus ac ipsum chylum: motu namque vehementiori quàm oportet, excretæriis sudoriferis, hiatu, naturali ampliore, apertis, erumpit unà cum sudore, ut cum Chylo, sectâ venâ, sanguis.

XCVIII.

Sanguineorum globulorum usus est, viscidiores intersecare motu multo, rotatione continua, contritione iterata, spatia inter & corporum suorum latera, chyli particulas easque in partium incrementum fluidas aptasque reddere nutritioni. Exinde verum, primò, chylum benè constitutum fluidum globulosumque (in omni quippe moto liquido globulos esse constituo) vitiatum verò, fibrosum esse & tenacem. Secundò, sanguineos globulos conjungi disjungique, pro majore, aut minore circumfluentis conterendique chyli resistentia; nunquam autem sine vi & noxa, suorum corporum, figuram mutari, aut strictè dictum, absque totius læsione diminui posse;

CXIX.


Utriusque autem hujus liquidi diminutionem, perditionem; etsi totum lædat (ob summam causam alias enim temera-

merariò fit) secundum artem posse concedi, affirmo; intellige pari ratione; ut membrorum amputatio, ad conservationem totius corporis.

C.

Ipsam sanguinis demonstrationem; ut eam opere meo anatomico, sub explicatione vigesimæ tertiæ Tab. Fig. 16, exhibui, hisce adjungere, extra dissertationis hujus sphæram, neminem Anatomico-Physicum asserturum, confido.

Sepositis itaque, cæteris, cum sanguine mixtis & ab eo, propriè dicto, derivandis partibus fluidis, liquet, Anatomiâ, quæ chemicè absolvitur, in sanguine detegi aquam; ut poterit, simpliciter considerandam, spiritum, salia, tam volatilia, quàm fixa. Hæc licet exacta quarundam sit partium detectio; non lacerandæ configurationis autem phænomenorum maxima est destructio. Propono itaque Fig. sequenti.



Sanguinis guttulam, vitreo tubo

A. INCLUSAM, CUJUS PARTICULÆ, ADJUVANTE MICROSCOPIO, ADAUCTÂ FORMÂ, DEMONSTRANTUR.

B. GLOBOSÆ VESICULÆ.

C. FIBRULÆ VARIÈ TORTÆ, STRATÆ ATQUE DISPOSITÆ.

D. MASSULA STRIATA, VEL

E. OVI ALBUMINI SIMILIS, QUÆ VITRO HERMETICÈ AB ALTERO LATERE CLAUSO CALEFACTOQUE MOTIS ROTANTIBUSQUE GLOBULIS, UBIQUE INTER EORUM CORPORA OBSERVATUR.

Altera anatomisandi norma, sequenti excolitur artificio.

Seperato, à frigefacto concretaque sanguinea massa, aqueo ac albuminoso liquore, qui variæ est substantiæ ignique impositus brevi, concrescit, remanet pars rubicunda, cujus fluidior portio, aquæ tepidæ ablutione iteratâ, grumosi instar acervi apparet, hujus singulæ particulæ globulum vesiculosum exprimunt, quorum quidam diaphani, alii opaci sunt. Reliqua massulæ portiuncula fibris constat flexibilissimis; frigefactis verò & aëri expositis, tenacissimis, tensilibus atque retiformibus.

Tertia insuper Sanguinis perscrutandi methodus est, quando Sanguis, ab innatanti liquore liberatus chartæque axungiâ linitæ impositus, aliquantulum exsiccatur; extrinsecam post particularum illustrationem, digito levi, conterenda sanguineæ massulæ portiuncula, in qua statim diversæ apparebunt constitutionis atque figuræ globuli, fibrulæ atque ejusdem generis explanatæ striæ. Partes aëreæ, Sanguini admixtæ, ut & reliquæ heterogeneæ, pro singularum partium substantia nominandæ generique cuidam referendæ, hujus fori cum sint minimè, ulteriori doctorum virorum perscrutationi submitto reverenter.

DIS-

DISSERTATIO
QUARTA;

Nobiliss: ac Clariss:

VIRO,

JOSEPHO DU VERNEY,

Ab auctore inscripta

&

defensa,

â

Nobilissim:

FR: H: DETHMARO;

Widenbr: Westphal:

VIRO
Nobilissimo ac Celeberrimo
JOSEPHO DU VERNEY,
Acad: Scientiarum Regiæ socio, Consiliario & Medico Galliarum Regis, Ludovici XIV^ti *ordinario, Professori Anatomiæ & Chirurgiæ acutissimo*;
S.
G: BIDLOO.

PEtin', ergo, quid rerum apud nos agat Anatome? verum habe; sed & anceps responsum, viget fervetque secundum hos, languet frigetque secundum illos: dicam quod res est: ego, qui non pro dissectorum cadaverum numero; sed demonstratorum, in Medicinæ commodum, utilitate, de artis præstantia, calculos subduco; quantùm in me est, nactus quam sum, non desisto ornare provinciam.

Sacram tibi, quâ decet reverentiâ, hanc de motu sanguinis dissertationem, facio, persuasissimus, dogmata hic & illic proposita, tibi non omnino displicitura. Nosti probè (*Vir erudite*) me, nec in Antiquitatis superstitiosam reverentiam, nec in Novitatis rerumque, hunc propter titulum adamandarum solummodò, effusum desiderium; ubi autem, Antiquorum monumentis, quidquam addere; ubi eadem, citra acerbitatem contumeliamque, elucidare & (sit

 verbo

verbo venia!) emendare annitor; ubi nova; sed & vera; sed & utilia maximè, in lucem protrahere molior modestè, omnis Antiquitatis perpetuus renuncior hostis! scilicet mos gerundus est sciis, locutulejis, ipse quibus, nec Rutilius sacer, nec Lynceus perspicax; sed assuetus acerbos inimicorum, nobiliorum studiorum veritatisque potius quàm meorum, iræ impavidus ferre rictus, non perhorresco, non metuo tandem Varronum & Rupicum Squarosa rostra, perpetua quæ liberè philosophandi & in res utiles inquirendi, proculcant pessundantque jura: licet enim is, sim minimè, omnes qui præter meipsum bardos, blennos fungosque habeam Anatomicos dictisque demonstrationibusque, vim ut conciliem meis, emendicatis in publicum prodeam præconiis; verùm utile quod quodque dulce, æquus aliorum laborum, lucubrationum atque opinionum interpres, de minoribus mendis non decernens graviter, eligam semper; is attamen quoque sum minimè, qui, fatuo ut pseudoscientiæ doctrinæque igne, de via Rationis, in inanium verborum labyrinthea seducar avia, patiar unquam: etsi ad ravim usque contra me barriat, latret, mugiat, oggmanniat, clamitet Phreneticus Buglossides hic, illic Nasutulus Pepo; modò pretio conductus

cyni-

cynico - disertus Calumniator, Advena, mox Gneus, Apianus Stentor; satius duxi unquam mea, quamquam tenuia, proponere, aliena, quàm, etsi gravia, interpolare omnibusque assentari indefessè; quod studium mihi, vel ab incunabulis displicuit; ductilis, ducente Ratione, docilis, docente Veritate; cum non sinam, periclitante earum una, numellam linguæ imponi meæ, sed impulsus, dodonæi instar lebetis, tinniam; displicio nonnullis; sed id sim, quod minimè volo, ab musarum sacris amotus Apollinique dirus, si ex servili hoc hominum genere eorumque contemptu, verum mihi non nascatur gaudium: displicere enim præstat istis, quorum laudationes & encomia, vituperiis ab honestis & doctis pejora habentur; sed ne maleferiatorum amurca hæc Medicastrorum eorumque indoles stomachum tibi (fecere etenim mihi dudum) faciant ulterius, subsisto petoque; ut quæ, in hisce Problematibus, paradoxum sapiunt, tuo subjicias examini sedulò rogoque experimentis, factu, nempè, non arduis eorumque narrationi non assentiaris; usque dum periculum feceris eaque expertus, comprobaveris ipse; ut autem hoc placeat Systema, opus non videtur, probem, vi & methodo sola, ab me exhibita (nullâ verò

aliâ) ſanguinis abſolvi motum; aliâ itidem forſitan abſolvitur, aut abſolvi poterit; modò meum, Rationi legibuſque motus receptis demonſtratisque, non ſit contrarium; poſſe, videlicet, ſanguinis motum vi & methodo ab me tradita, abſolvi, placeat, æquum videbitur;

Sed ne ſermo hic, ut, quem nuper habui, ultra limites exultans dicatur, ſileo totus; ſtatuens, quemadmodum in Sacris; ita in arte Anatomica, nullam extare, hæreſin, quæ ſuam ex detorto hoc, vel illo, celebris cujuſdam auctoris verbulo, baſin non exſtruat. Verumenimverò, in magno ſcripturientium docentiumque cœtu, cum & de me metus eſſe poſſit, ne præfervidum ob ingenium, præcipitantiam, livorem, vindictam, requiſitos excedam moderationis terminos, aut nimiæ indulgens opinandi libertati, ſententias dogmataque ſecter, novas non tantùm; ſed & inſulſas ſimul, rem totam tuæ virorumque eruditorum appendo trutinæ, ex animo: ut, nempè, re ventilanda conſtituta, parte ex utraque, quæ potior videatur cauſa (multa enim eheu! tanta, vel talia, ea quantùm verbis extollere, aut deprimere præclara valent ingenia, habentur ſæpius) dijudicare liceat integerrimè.

CI. Mo-

CI.

MOtus toti descripto Latici, viginti circiter, in abstracto, ipsi sanguini, vix trium ponderum (comparativè, circulatio, circuitusve sanguinis) duplex, progressivus & intestinus est: priore, de loco in locum, secundo inter pergendum rotando; ut sphæra, aut globulus, per axem movetur,

CII.

In & per arterias, venas vasaque pro hisce inservientia machinasque sanguinis receptioni propulsionique dicatas, puta in & per sinus duræ matris, portam, cor ejusque auriculas;

CIII.

Prior autem in arteria, venave; ipso verò an in corde, aliave fuerit in corporis parte sanguinis motus, hujus cum lemmatis non sit propriè (de eo circa fœtum ejusque dicturus œconomiam specificè) agam hoc de motu, ut sese in humano, aëra hauriente extra matrem, genere exhibet. Posthabitis, quâ decet modestiâ, de hujus liquidi motus causis atque plurimorum hac de ætiologia opinionibus, sententiis, dogmatibus leviterque perlustratis, quorum fit robore & virtute machinis; utpote satis superque designatis; conabor quædam non admodum trita & obvia examini subjicere publico: flammulâ, ut enim, calore nativo spirituque primigenito vitalique (licet calore, sive motu liquida dilatari possint) sanguinis motum promoveri, inficias eunt erectæ mentis atque orthodoxi Medico-Physicæ scientiæ antistites; liceat quoque mihi ex sanguinis dispositione organisque eum vehentibus propulsantibusque demonstrare, ad ipsius motum,

tum, fermentum, vel ſimile quid, requiri nequaquam.

CIV.

Sanguinis figura, ſphærica, nempè, mobilitati, motui progreſſivo inteſtinoque aptiſſima, maſſæ totius movendæ latici inſervit maximè;

CV.

Omnis autem, corpus integrantis partis & ſic quoque ſanguinei laticis, motus, proximè ab ſolis dependet muſculis. Velim hæc intelligantur, quatenus partes ab aliis moventur proximè; non verò quatenus primum in partibus motum, ſive illud, quod primò animal (Deus, anima, ſpiritus, nervus &c.) movet: muſculi enim ipſi, deberent juxta hoc meum poſitum, ab muſculis in indefinitum, cum partes totum integrantes ſint & moveantur, moveri.

CVI.

Tria ſunt validiora, ſanguinem moventia, organa muſculoſa, Cor, Arteria, vena; minora plurima.

CVII.

Per primum huîc motui dicatum organum, Cor, ſanguinem tranſire, quæque porrò ejus; ut & arteriæ venæque propriè, vel impropriè & ex quorundam vaſculorum uſu dictæ, fabricam ſpectant, deſcripta cum ab multis, de re publica anatomica, viris ſint benè meritis luculenter atque ego quoque modulo pro meo, in opere meo anatom. tab: 22. & 23. exprimere hæc conatus fuerim, operæpretium erit potius, quàm ſingula hæc ad examen vocare iterum, explicare qua methodo ac vi, ſanguis omnis ex cava utraque, ſine pari, coronali aliiſque venis ab cordis dextra auricula thalamoque receptus,

receptus, ex eo, in vasa sanguifera, arteriam & venam pulmonalem promoveatur iterumque ab sinistra auricula thalamoque receptus sinistro, in arteriam magnam atque ita per totum hoc systema, ad corporis circumferentiam, quasi ab centro, derivetur propellaturque continuò

CVIII.

Totumque momentosissimum hoc absolvi negotium, sola muscularium machinarum vi & virtute.

CIX.

Demus (licet ictus plures immissique sanguinis pondus minus sit) Cor aperiri claudique bis millies, singulis vicibus excipere sanguinis uncias duas uniusque horæ spatio, ter decies, hac ex computatione, omnem massam sanguineam cor transire. Quid aliud inde? quàm colligendum, cor esse validum atque huic motui aptum instrumentum, conflatum, nempè, ex multiplicibus, ne dicam, respectu uniusque lineæ muscularis, innumerabilibus musculorum fascibus: ad musculi quippe machinam requiruntur tantum (exceptis totum & singulas animalis partes integrantibus) cum duabus tendineis, una linea, sive fibra motrix. Quid aliud, inquam, exinde sequitur? quàm Cor expellendi immensa regressumque molientis, eâdem viâ, liquoris vim, vi superare sua musculari. Ne autem supponi nudèque dici hæc videantur; probabo multiplici motus lege, asserta mea.

Primò; corpora persistunt in quiete, donec ab aliis moventur motusque; ut minor majori, sic resistentia & corporum gravitas, motui cedunt superanti corporum quietem.

Secundò; corpora propulsa, cessante motu propulsante; alio autem novoque in hoc temporis punctum, ad hoc corpus accedente, in motu persistunt.

Tertiò, mota in motu perſeverant facillimè.

Probandum ergo;

Sanguinem moveri ab corde ejuſque motui muſculari reſiſtere non poſſe.

Sanguinem, ceſſante cordis motu, mox ab alio muſculari organo & ſic porrò propelli inque hoc motu facilè perſeverare.

CX.

Ad primum;

Sanguis ad dextram cordis auriculam, alternatim, cum corde operantem (id eſt, excipiente auriculâ, effundit quod recepit ex auricula ſanguinis cor & ſic partitis vicibus vibrationibuſque hæc excipiunt expelluntque organa ſanguinem, operantibus muſculis, continuò) diductus, intromittatur, in hanc auriculam, ad uncias duas (aſſevero autem hanc quantitatem non capi ab auriculæ cavitate) quid mirum? Si hæc quantitas, cordis conſtricto ventriculo, operantibus muſculis ejus, ad expreſſionem recepti ſanguinis, hiante auricula (modò ejus capax ſatis ſit cavitas) recipiatur & quid prodigii porrò, ſi comprimentibus muſculis auriculæ cavitatem ſanguinemque in ea contentum, hiante cordis ventriculo, ſanguis in eum deprimatur inque eum deſcendat? duæ enim ſanguinis unciæ continebunt guttulas circiter 480. hæ motæ & novo motui ſubjectæ, compreſſæ, nempè, ab muſculis, motui validiori corporique moventi ſolido reſiſtere ſeſeque in quiete hoc loco continere non poterunt; adde, cordis ventriculò aperto quoque ſanguinem vi ſua & gravitate in eum deſcendere: auriculam irruenti ſanguini reſiſtere, receptum deprimere atque hoc modo, utroque fungi munere, quod rationi & organi hujus quoque ſtructuræ convenit.

Ad

Ad secundum;

Ab auricula hac depulsæ quiescerent prædictæ in dextro cordis ventriculo, guttulæ, nisi cordis, hac ab parte, musculoso operante organo, vi magna eâque auriculæ designatæ, potentiore, hinc in arteriam pulmonalem expellerentur. Majore revera atque validiore ad hoc opus, opus erat musculoso organo: sursum quippe moveri, propelli premique omnis debebat latex sanguineus: musculi itaque, huic dicati motui; ut corpore atque multitudine, ita robore & dispositione illos, prædictæ auriculæ, ad minimum bis millies superant. Quinimò; ut arcus, distento nervo, dispositio mutatur; relaxato autem restituitur telumque, hoc modo, ictu atque vibratione ab eo, disjicitur potenti; ita sanguis distentis restituentibusque sese utriusque cordis thalamorum musculis, alternatim (cui Cordis intermedium musculorum septum, non leviter cooperatur) in organa vasaque sanguifera vi expellitur potentissimâ: etsi quoque vis illa potens ex ipsa sanguinis eruptione, ex corde, rectilinea arteriæque pulmonalis, ut & aortæ incurvatione postea (ne, nempè, motu ad superiora rapidiore ac violentiore rueret sanguis) satis superque constet: concedam, proportionem hujus motus vimque hanc (etsi quoque sanguis in motu facilè: in motu quippe est, perseverare possit) ad totum laticem hunc: unciæ enim duæ supponuntur, per pulmonis corpus, usque in sinistram auriculam propellendam, non sufficere: sed vas, arteria pulmonalis, sanguinem ab dextro cordis recipiens ventriculo, motu cessante expulsorio musculorum dextri Cordis thalami (qui dum recipit non effundit, id est, dum extenditur, non contrahitur) organis per omnes suos tractus instructum extat, musculis, scilicet, propellentibus motumque inceptum adjuvantibus validissimis: atque ita novo (non obstante arteriæ conicâ figurâ) accedente in corpus movendum & punctum temporis requi-

 situm,

ſitum, organo motore, ſanguis in eo contentus, ducitur ad venam pulmonalem, hinc in auriculam indeque ad ſiniſtrum Cordis ventriculum indeque in Arteriam magnam: velim partium muſculoſarum reſpectu eadem, de hiſce organis, intelligantur, quæ de prioribus ſunt dicta; ſervatâ uniuſcujuſque & motus perficiendi majoris minoriſve in promovendum ſanguinem, proportione.

Ad tertium:

Hinc colligo, quæ in motu ſunt: ſanguis enim in motu ſtatuitur, hoc modo, in motu perſeverare facillimè; præſertim, ſi; ut eſt, verum ſit; ubi vas, ibi muſculus & viceverſa atque ubi muſculus, ibi motus (intellige partis animal integrantis) & vice verſa.

Experimento ſi opus ſit, en habe: toto quippe abſciſſo corde, perſeverat; ut & læſo pulmone (de quo inferius) in vaſis, ſanguinis motus.

CXI.

Arteria in conum, ſive ab amplo in anguſtum exporrecta tubulum (cum vena ab minori in majorem; ut plurimum, non autem ſemper, abeat; ut in cavæ trunco infra hepar ejuſque circa cor progreſſum & alibi liquet) quam unius pollicis longitudine ejuſque diametri latitudine maſſam capit, eandem poſtea tubulo capiet anguſtiore, rependente longitudine, quod latitudini, ſive capacitati deeſſe videbatur ſpatii: adde 1°; inter pergendum ab latice univerſo ſanguineo ubique locorum, particulas partibus apponi nutritias. 2°; In plurimos findi divaricarique arteriam majorem ramuſculos, qui numero & facta computatione, ex cavitatum eorum dimenſione, reliquæ tranſportandæ maſſæ, in venas, ſufficient.

CXII. San-

CXII.

Sanguiferorum, imprimis verò arteriarum, tubuli nunc in rectum, nunc in obliquum, hic ſerpentino, illic ſpirali ritu, modo in angulos acutos, mox in obtuſos ad, in & per partes exporriguntur; ut, videlicet, pro partium movendarum ſitu, figura, diſpoſitione atque uſu flecti, moveri ſanguiniſque motus celebrari poſſet tutò: ex arteriarum hoc curſu, cum ſanguis per ejuſdem generis tubulum aſcendere nunc, deſcendere tunc, videbatur, deceptos, circa ſanguiferorum unionem, nonnullos, vereor. Arteriarum porrò exiliſſimæ propagationes in glomum, plexum, maculam, glandulam abeunt; non autem eorundem corporum uniuſque diſpoſitionis ſubſtantiæ continuitate, cum venarum radicibus, uniuntur. Quæ in animali partes diſpoſitione, eædem uſu & vice verſâ, conveniunt: poſthabitis anaſtomoſeων ſanguiferorum doctrinâ inventoque; conſtituo primò; arteriam tandem, pelliculæ inſtratam (omnis enim arteria venaque membranæ inſternitur) in glomum deſinere hancque machinam, reſpectu finis arteriæ initiique venæ & pelliculæ, cui affiguntur, glandulam voco; vel 2ò; totam arteriam ipſam ubique locorum eſſe glandulam, aut glandulæ inſtar perque totum ejus tractum, circa principium, ramos majores, vel eorum extrema, quæ ad nutritionem ſecreta, ab toto ſanguineo latice, intra arteriam, ſunt partes, non in ramos iterum arterioſos; ſed alterius ordinis vaſcula devehi deponique, alioquin (circulante & manente omni ac toto hoc latice in arteriis ſemper) nulla in corpore pars veniret, exceptâ arteriâ, nutrienda; ſed miſſas faciamus abſurditates; brevi, hac de materia diſſertaturus ſpeciatim, hac vice, hæc velim ſufficiant. Qui glandulam non admittunt, arteriam deſinere in plexum contendunt acriter; ſi autem in plexum ſemper deſinat, erit hic retiformis, ſive unius, ſive plurimorum vaſculo-

rum, cum aliis, interjunctis nodulis (concedo laxioribus) tegmen; aut ſtratum ſuper ſtratum, vel tandem intricati admodum contextus & connexionis, ut de ejus figura certum affirmari nil poterit; ſed quid de ſanguiferorum vaſorum extremitatibus eorumque plexuumque ordine, multum, ab eo, in nervoſo genere obſervando, differente, quid, inquam, de eorum fabrica affirmare licebit turò? cum tandem viſum, omni modo armatum, fugiant barbæque crines immensùm majores, demonſtrabili capillari ſanguifero tubulo, nondum in glomerem, glandulam, plexum, aut maculam abeunte uniuſque contortæ arteriæ longitudo, eam hominis vigeſies & plus ſuperans comperiatur.

CXIII.

Quidquid ſit, textura hæc conſtabit, 1°. ex arteriis, vel arteria una tantùm; aut 2°. ex arteria & vena una, vel pluribus tantùm; aut 3°. ex hiſce aliiſque vaſis partibuſque ſimul.

Si primum; erit movebiturque ſanguis tantùm in arteriis debebitque, ut tranſeat in venam, de hoc plexu effundi in ſpatium, arteriam inter & venam: aut ex eadem arteria, venæ ortum ducant ſuum, vel abſurditates ſupra memoratæ ſequantur, neceſſum eſt.

Si ſecundum; ſequitur; quod ſupra negatum, ſanguinem tranſire in venas, per anaſtomoſin.

Si tertium; ut ſanè conſtat, plexum hunc formari; liquet eſſe de nomine litem eritque quorundam plexus, aliorum macula, organum, ſecundum me, glandula nuncupandum. Revocet jam (*B. Lect.*) in memoriam, nullam dari arteriam, venam, vel lymphæductum, membranæ non affixum. Quæ dicta hucuſque de curſu arteriarum porròque dicenda ſunt, ex adjuncta demonſtratione & ſchemate percipi poterunt dilucidè,

Fig.


Fig. I.
1
2
3
4
5
6
7
8
9
A
B
C
D
E
F
G
H
I
I
I
K
L
M
M
N
N

Fig. I. Exhibente

1. Arteriæ magnæ, ut et
2. Venæ corporis cavitatisque diametri proportionem; vasa hæc (vide positionem antecedentem) in
3. & 4. Rectum;
5. & 6. Obliquum;
7. Spiram; angulos,
8. Obtusos; vel
9. Acutos abeuntia.

Sit ergo,

A. Arteriæ ramus insignior, ex hoc ramo,
B. Vas in lineam rectam horizontalem,
C. Perpendicularem, exporrectum;
D. Obliquè ascendens;
E. Descendens;
F. In spiram tortum;
G. Angulis obtusis;
H. Acutis donatum. Positâ requisitâ proportione extensorumque ab trunco vasorum distantiâ; dato insuper, negari quod poterit ab nemine, ramos in ramulos, hosce iterum abire in minutissimos, exsurgunt tandem ex hisce variæ collocationis vasis, per totum animal, cum alterius ordinis tubulis commercium habentes, sequentes glandularum, membranis semper,
I.I. Instratæ, fabricæ;
K. Vasorum glomeratio;
L. Plexus; imperscrutabilis divaricatio, quæ in
N. Maculæ delitescens formam, visum fugit omnem.

Huic venarum apponuntur radices, arteriarum extremitatibus numero minores; ſingularum verò vaſorum capacitatum reſpectu, majores; utpote in quibus minor, quàm arteriis futurus erat, ab initio, ſanguinis motus.

CXIV.

CXIV.

Sanguis in maculam hanc deductus, excipitur ab venarum radicibus; ne autem in patulum, nullo modo ſeptum determinatumque arteriam inter & venam ſpatium eructari videatur, notandum; medium ſpatium hoc, membranis (nullum enim vas ſanguiferum; ut de aliis non moneam, per corpus vagatur liberè) cingi vaſis pariter hiſce ac huic medio, tendinum more inſervientibus emiſſumque de arteriis ſanguinem, in venarum orificia prementibus: hoc quoque fonte (glandulâ) derivatus latex lymphaticus, pars, nempè, reſidui ex arteriis chyli, nutritioni minus apti, mox verò muneri adaptandi ſuo, in ejus tituli pellitur organa fluitque proximâ, in uſum totius, ex omni parte, viâ, ad cor; ſi autem vena, cum arteria & hæc cum illa, unum idemque (vide poſit: CXII.) conſtitueret vas; vena, quo loco arteriæ eſt proxima & ita circa ejus radices, ſive initia craſſior, quàm verſus truncum reperiretur nulliuſque viderentur momenti valvulæ in illis ut & lymphaticis ductibus, cujus contrarium nimis conſtat, quàm ut ab me doceatur explanatius; monendum ultimò; venas pro viſcerum connexione atque ſui per eadem reptatu, plus, minuſve recto curvoque ductu non rarò dilatari, aut contrahi irregulariter.

Cuncta quæ nuperrimè, inſigni coram auditorum concione, unâ, unicâ, novi inventi liquoriſque infuſione, omnia ſanguinem vehentia propellentiaque organa exactiſſimè implente, demonſtravi;

Cum autem paſſim, præſertim verò neotericis multus eſt ſcriptoribus Phyſico-medicis ſermo, de ſuccorum liquidorumque incraſſatione, ſtagnatione, fixatione, induratione atque proinde de vaſorum obſtructione omniumque morborum cauſa, inde deduci videatur meritò: ſepoſitis quip-

pe

pe partium solidarum solutionibus læsionibusque, affirmandum censent, solidas ex liquidis, fluidisve ortum traxisse suum atque ab eo (non autem vice versa) vitiari corpusque sanum dici, in quo liquores methodicè periodicèque motum absolvunt suum; non, inquam, inconsultum videbitur, post multorum philosophemata, meam quoque, hoc de negotio, aperire mentem. Triplex obstructionis statui videtur methodus rectè. 1°; ubi vasorum latera collabuntur seseque mutuo tangunt. 2°; ubi fluidum in vasis contentum inspissatur, incrassatur. 3°; ubi interiori vasorum tendinoso parieti adhærescens, tandem eorum cavitatem obturat fluidique motus, per ea vasa, sistitur; si verò ex: gr: fluidi sistatur fluxus, vase læso, aut motu destituto suo, propriè non est obstructio, quæ generale spectat morborum hoc genus, de quo jam agitur: posse prædictam obstructionem in vasis accidere majoribus sanguiferis in genere succiferisque in specie, impossibile autumo; primò; autem in iis, in quibus fluidum liquorque ab minori tubo in majorem & sic ab tergo, propellitur; non ergo in venis, lymphæ ductibus vasculisque aliis, pone, salivalibus, pancreaticis &c. secundò; si quæ in hoc vasorum genere statui poterit obstructio, in eorum erit statuenda tubulis minoribus. tertiò; in arteriarum fieri trunco, haud credibile videtur, motu, nempè, obstante validissimo, sanguinem agitante, propellente, incalescente continuò: omnis ergo obstructio in sanguiferorum arteriosorum & lymphaticorum extremitatibus glandulosoque, arterias inter & venarum radices, organo, indaganda restitabit: quæ enim in inflammatione rubedo quæque primò turgida minora vasa, conspiciuntur, arteriæ sunt; stagnante, videlicet, inter ea, venarumque radices, lymphæductibus non probè exhaustâ lymphâ, vel tenaciter, glutinis in modum, adhærente sanguineis globulis eorumque progressum in venarum radices,

 impe-

impediente: quod licet in vasorum majorum cavitatibus sub polypi titulo quandoque, quodammodò observetur, non tamen sanguinis; sed chyli, vitium, non totius; sed partis tantùm vasculi est obstructio, vas ipsum obturans nunquam.

Pari ratione (ut cætera de liquorum, in vasa sanguifera, lymphatica aliaque infusorum phænomenis operationibusque non commemorem experimenta) cor ab injecto, cum sanguine, oleo vitrioli, vel tartari constrictum, vel dilatatum, eum in modum, ut restitui ejus musculi nequeant, omnem si amittat motus vim omnisque simul si sistatur sanguinis, per illud, progressus, obstructum dicitur, cum potius musculosa ejus lædatur, destruatur rumpaturque machina: adde talia vel nunquam in animali accidere: imò corde, suo, hac arte, privato motu, pergit qui in vasis est sanguis, alio ab tergo non adveniente, nihilominus, pro tempore vivuntque quædam animantia per integras horas. vide quæ de hoc themate porrò sunt dicta, in fine positionis CX. qui verò sanguis extra vasa vasorumque membranam, cui (nempè) involvuntur, erumpit, is nunquam in massam reducetur probè: si copiosus effluxerit; nullo ut maturandus, vel in pus convertendus medicamine, nullâ ut frictione, motu, vel vi caloris dissipandus, de loco emittendus liquidus; qui verò minori effluxerit copia, exsiccatus, cutim inter & epidermidem, vel inter hasce & partes subjacentes hærens, grumorum adinstar, deponendus veniet.


CXV.

Inter minora sanguinem promoventia organa eminet Pulmo (cujus delineat: atque descript: exhibet: Tab: Anat: mea 24. & 25.) vel potius trachæa arteria, conico tubo, in plurimas sui generis propagines, extensa, ab altera parte clauso constans organo, parte instruitur suprema, musculari-cartilagineo, larynge, moderante aëris, ore naribusve

bus∫ve

busve recepti interiusque ruentis, in pulmonale corpus, vim & influxum exitumque, ad requisitam proportionem; ut larynx, tubus ipse pulmonalis ejusque ramuli, bronchia, variæ figuræ & dispositionis ornantur cartilaginibus, aëris quoque impetum; ut supra, moderantibus; ita hæc omnia eorumque extremitates vesiculares insigni ditantur validissimoque moventur musculorum agmine (vide Tab: præd: meæ Fig. 1. 3. 4.) Hinc assero, pulmonis hanc machinam coadjuvare sanguinis motum progressivum, quod assertum probo sequenti demonstratione; proponitur Fig: secund:

Fig. II.



Portio tubi Bronchialis A. ex variæ figuræ cartilaginibus exstructi inque conum, altera parte clausum B. abeuntis, latera efformantis irregularia C. C. collocatur hic inter & ad arteriam pulmonalem D. ejusque nominis venam E. tria hæc vasa, in sui generis minora atque minutissima exporrecta, cinguntur tandem (elongato semper ultra sanguifera, vase bronchiali.) totum obvelante organum membranâ F. F. F. F. F. aëre irruente per asperam arteriam in bronchialem tubum A. ab parte G. versus H. partem ejus clausam, expanduntur ejus latera C. C. prementia, loco quo ea tangunt, latera vasorum, D. & E. quorum opposita latera I. I. I. I. cum ultra terminos cingentis organum membranæ F. F. F. F. F. cedere non possint, sequitur fluidum, sive sanguinem in D. & E. arteria & vena pulmonali, contentum, hoc modo, ad punctum quo vergit, videlicet, in D. ab K. ad L. in E. ab M. ad N. promoveri atque accelerari inque hoc motu: in motu quippe est, facilè perseverare; comprimente quoque ab parte extima vasorum prædictorum latera, membranâ F. adjuvantibusque hunc liquoris motum aërearum particularum, in hæc vasa ingredientium, impetu & accessione; residuus autem aër, quo intravit vasa bronchialia, tramite, eodem, musculis pectus constringentibus atque huic motui dicatis operantibus, expellitur.

Fitque hoc artificium in-& expirationis, ne sanguifera vasa nunc planè clauderentur, tunc nimium aperirentur, cui quàm maximè facit tubi pulmonalis structura cartilaginea: licet enim bronchiorum cartilagines loricatim cohærentes cedere & resistere valeant; ex iis autem factus tubus ultra mensuram constringi, vel dilatari (in statu naturali) non poterit: restitabit enim ex cartilaginum varia figura, quarum latera nunquam sese ubique, mutuo tangere in puncto possunt, quædam cavitas;

Verùm

CXVI.

Verùm, etsi pulmonis machina musculosa sanguini promovendo inque eundem aëreas intrudendo partes atque hoc modo, nobiliori inserviat muneri: præcipuum tamen & ad vocem edendam obtinere usum, discussum cùm sit ab multis probè; hisce tantùm, eâ quâ possum brevitate, adjicio; ex primario pulmonis hoc munere, Hominem non omnimodò ineptè renuntiari; Animal verâ utens loquelâ; quia autem homo continuò vocem non edit, aut loquitur, quæritur non immerito, cur pneumaticum hoc instrumentum continuò operetur circa vocis atque loquelæ materiam, aëra? regero; primò; aëre modicè & impetu non violento intrante, atque exeunte in & ex hoc organo, sonum, vel vocem edi nullam. 2ò; compresso agitatoque ex bronchiis perque fistulam pulmonariam ad ejus superiora, laryngis, labiorum, buccarum, linguæ nasique musculis in sonum, unisonum, aut articulatum, plus, minusve acutum, vel gravem, atque hoc modo, sonum in vocem vocemque in loquelam formari; opus autem erat, ut (in modum organi musici quod pulsandum venit, operante folle) semper aërea, tubo hoc, adducta, vocis atque loquelæ præsto esset materia atque ita pro lubitu vocem edere atque loqui homo valeret. In-& exspirando (inquam) sive dum anima hauritur leniterque propulsa, effluit propriè non vox, multo minus loquela; sed, ut ab alto ruentium fluminum ad saxa impetu atque collisione fragor, sonus, murmur, sibilus, per os naresque, percipitur.

CXVII.

Membranæ (tendines quippe sunt, exemplo erit magno, capsula Glissoniana) vasa comprimentes sanguifera, nullum quorum liberè & sine, cum hisce connexione, ad par-

tes defertur, minora inter designata organa exstant recipiendæ: ut enim nullum corpus de loco recedit, nisi movente alio, ita saliva, bilis, succus pancreaticus, urina &c. membranarum, tendinum motu ad & in partes cloacasque cavitatesque, quo, vergunt, deferuntur, deducuntur, exprimuntur; quæ autem vasa, utraque extremitate aperta, succum suum in amplum eructant spatium, eorum orificia sphinctericо, mox ante exitum, clauduntur musculo, ne continuò; sed re exigente, officio fungi valerent suo methodicè.

CXVIII.

Quemadmodum autem in spissioribus, cornea &c. tenuissimis, aranea &c. membranis nullatenus, ubique locorum sanguifera vasa, quæ tamen duæ ratione stabilitâque œconomiâ animalis, supponi debent; quinimò in statu morboso apparent omniaque, omni adhibito, non possunt demonstrari artificio; ita in-& ad membranarum, tendinum expansorum fines, sæpius fibræ non possunt detegi motrices; ex eorum tamen dispositione atque effectu partibus inesse hasce, statui debebit; ut enim viventis animalis, si arteriæ magnæ, ramulis superioribus ejusque circa diaphragma trunco, vinculum injiciatur, facilè solubile, in pleura (tendo pectus cingens interius; ut abdomen peritonæum) insignis vasorum horum distributio, quæ, soluto vinculo, mox, levi relicta rubedine, visum fugit, conspicua est; ita in viventibus fibræ visuntur motrices multæ, quæ in demortuis non, aut albescentes & striarum adinstar, tantùm apparent; exempla sunt in musculis vasorum, menti, cremastere &c: quinimò; Uveæ limbum, circulum iridem, ciliare ligamentum ex musculis conflari variegatis, nemo dubitat; nemo autem fibras eorum ostendit rubentes motrices adhucdum; non autem omnis rubro tingatur colore musculus, ad

musculi

musculi essentiam : subalbidi nigricantesque enim inveniuntur, opus est necessariò.

CXIX.

Pericardium, ab vasis sanguinem ad cor referentibus atque, ex eo depulsum, provehentibus, sine laceratione non separabile, vasorum exterioris valvulasque omnes sigmoideas, sive semilunares, sive tricuspides, interioris specialis (cum interiore communi) tendinis persungi officio, certum reor omnesque tendines usu convenire, figurâ tantum differre; ut in planis, rotundis, perforatis, trochlearibus, bifidis, unitis &c. manifestum est.

CXX.

Ultimò; quemadmodùm plurima, non uno tantùm corde atque non uno tantùm pulmone instructa dantur animalia, operantibus cordis uniuscujusque & pulmonum singulorum musculis, temporis successu & ratione primi, in primo corde & primi in primo pulmone motus; argumentor, in corpore humano organisque designatis, cordis machina musculari ejusque motu, succedentibus continuò aliis, ejusdem fabricæ dispositionisque machinis, muscularibus, nempè, ad-in-per & ex corde sangui ferisque vasis omnibus, sanguinei laticis motum promoveri, celebrari, absolvi.

FINIS.